simplex, quasi unicam solam perfectionem in se continens, sed hæc essentia est simplex, & illimitata, quia illimitata non tantum intensive in una ratione, sed in omnibus, quæ sunt principia proprianum operationum Dei, sicut natura creata est quodammodo illimitata, quia identice est quodlibet principium tale operandi; cum hac tamen illimitatione essentiæ divinæ, quasi extensiva, stat simplicitas: immo ex infinitate sequitur simplicitas, quia infinitum nulli est compombile, ut pars parti; sed tamen potest esse realiter idem, licet non formaliter cuilibet infinito. Ad tertium responsum est *distinct.* 3. quod quædam sunt relationes secundi modi incompossibiles in eodem supposito, quæ scilicet dicunt ordinem essentialem, vel ordinem originis, quædam autem ejusdem modi non sunt incompossibiles, quæ scilicet dicunt accidentalem ordinem, ut movens, & motum, non enim dependet motum a movente, nisi per accidens, quo scilicet ad illum actum, quem recipit ab eo, scilicet movere, & ideo licet voluntas possit movere se, nullum tamen idem suppositum potest producere se, & ideo relationes producentis, & producti insufficienter distinguunt realiter supposita. Ad Boetium respondeo, quod intelligit de relatione identitatis secundum naturam, non formaliter, quasi diceret, quod quædam relationes necessario exigunt diversitatem naturæ in extremis; ista autem relatio, quæ est relatio originis, non ita exigit, sed compatitur secum identitatem naturæ: & ideo est quasi ejusdem ad se propter identitatem relatorum in natura; licet sit distinctiad distinctum, loquendo de distinctione suppositorum. Ad arg. pro opin. Præpositivi dico ad primum, quod verum est, quod persona est simplex sicut essentia: persona tamen includit aliqua, quorum unum non est formaliter alterum, non ita includit essentia, & ideo se tota distinguitur, licet persona non se tota distinguatur propter essentiam, quæ communis est: sufficit enim talis identitas non formalis in aliquo ad hoc, ut uno distinguatur Filius, & non altero. Ad secundum dico, quod concretum, sive significet, sive connotet, saltem dat intelligere subsistens in forma, vel natura; abstractum autem precise dat intelligere formam: & si hoc sit alicui dubium de concreto adjectivo, saltem hoc videtur certum de substantivo concreto, quod vel signat, vel necessario connotat subsistens in natura, quæ importatur per abstractum ejus: abstractum autem præcise dat intelligere formam, in proposito autem subsistens habens paternitatem, cum hoc etiam habet essentiam divinam, quæ non est formaliter paternitas, nec e converso, prout dicitur 7. *de Trinitate cap.* 1. & ideo patrem distingui paternitate, accipiendo *patrem* non adjective, sed substantive pro hypostasi, sicut accipit Magister, non est dicere patrem se toto distingui primo, sed aliquo, quod est in eo, dans tamen intelligere totum: non autem omni eodem modo per se includit Pater, ut substantive accipitur, & paternitas deitatem.





## DISTINCTIO XXVII.

Circa istam distinctionem vigesimam septimam quæro tria de Verbo, & primo de Verbo intellectus creati.

### QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum Verbum creatum sit intellectio actualis?*

Quod non. August. 8. *de Trinit. cap.* 6. *Phantasia Carthaginis in memoria mea, est verbum ejus.* Phantasia illa ibi sumitur proprie pro specie, non pro actuali imaginatione: ergo eodem modo verbum intellectuale est species intelligibilis, & non intellectio actualis. Item August. 15. *de Trinit. cap.* 11. *proinde verbum, quod foris sonat, signum est ejus verbi, quod intus latet*; verbum autem exterius est signum rei, & non intellectionis: alioquin qualibet affirmativa esset falsa, in qua non prædicatur idem de se, quia intellectio subjecti non est intellectio prædicati, licet res sit res: ergo verbum est objectum, & non actualis intellectio. Præterea. August. 9. *de Trinit. cap. ult. Verbum est proles, & genitum a memoria*: actio autem non gignitur, sed est quo aliud gignitur: ergo verbum est aliquid formatum, præter actum intelligendi, & non ipse actus. Contra idem vocat August. verbum notitiam, & 15. *de Trinit. c.* 15. *est visio de visione, & scientia de scientia.*

### QUÆSTIO II.

*Utrum verbum in divinis dicat proprium personæ genitæ?*

Secundo quæro de Verbo divino, an verbum in divinis dicat proprium personæ genitæ? Quod non. August. 9. *de Trinit. cap.* 10. *Verbum est cum amore notitia*: hic autem omnia posita in diffinitione verbi sunt essentialia: ergo verbum non dicit proprium personæ genitæ, sed essentiale. Præterea 15. *de Trinitate cap.* 7. de magnis, *vel* 15. de parvis: *sicut Pater intelligit sibi, & vult sibi, & meminit sibi: ita Filius, & Spiritus sanctus*: actus autem proprius intelligentiæ, ut intelligentia est, ponitur esse Verbum: ergo sicut in Patre est formaliter intelligentia, ut intelligentia, ita in eo est Verbum, ut Verbum. Assumptum probatur per hoc, quod illa Trinitas, quam assignat August. 9. *de Trinit. cap. ult. mens, notitia, & amor*, quæ notitia est verbum secundum eum ibidem, & illa assignata secundum eum, 10. *de Trinit. memoria, intelligentia, & voluntas*, correspondent sibi invicem, prima pars primæ parti, & secunda secundæ, & tertia tertiæ: ergo sicut non est perfecta voluntas sine amore formaliter, nec mens perfecta sine memoria formaliter, ita non est perfecta

fecta intelligentia sine verbo formaliter. Item non sunt duo propria unius personæ, quia unius constituti in esse, est unum formale constitutivum: Filiatio est propriet as constitutiva personæ genitæ, secundum August. de fide ad Petrum, cap. 2. non ergo Verbum. non enim videntur ista dicere proprietatem eandem, quia non omnis Filius est Verbum, nec omne Verbum est Filius. Oppositum, Augustinus 7. *de Trinitate cap. 4. Eo Verbum, quo Filius, & utrumque relative dicitur.*

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum Verbum divinum dicat respectum ad creaturam?*

TErtio quæritur, Utrum Verbum divinum dicat respectum ad creaturam? Quod sic. August. 6. *de Trin. cap. ult. Verbum est ars omnipotentis Dei, plena omnium rationum viventium*: ac dicit respectum ad artificiatum: ergo & Verbum ad creaturas.

Oppositum August. 7. *de Trin. cap. 4.* per idem, quod Patris Filius, non dicit respectum ad creaturas: ergo nec Verbum, quia *eo Verbum, quo Filius.*

Ad primam quæstionem dicitur, quod Verbum (a) est intellectio actualis, & non quæcunque, sed declarativa. Ad quod intelligendum ponitur sic. Intellectus primo recipit intellectionem simplicem ab objecto, qua impressione recepta intellectus ut activus est, convertit se supra se, & super actum suum & objectum, intelligendo se intelligere: secundo sequitur impressio notitiæ declarativæ in intellectum nudum conversum, & hoc ab intellectu informato notitia simplici, ita quod intellectus informatus tali notitia est ratio imprimendi notitiam declarativam, & intellectus nudus conversus est proprium receptivum: & inter has duas intellectiones, primam scilicet, quæ est ratio imprimendi, & secundam, quæ est impressa, est habitudo media, quæ est actio de genere actionis, quæ notatur per hoc quod est dicere: est enim dicere illud, exprimere vel imprimere notitiam declarativam notitiæ simplicis; & ista notitia declarativa impressa in intellectum nudum, conversum, & terminans illum actum dicendi est verbum. Non igitur quæcunque intellectio actualis est verbum, sed illa quæ est declarativa, quæ præsupponit intellectionem actualem simplicem, & conversionem actualem super illam, & significat actu dicendi, cujus principium activum est notitia simplex, & receptivum est intellectus nudus conversus. Hinc conjunctim respondetur ad secundam quæstionem, quod intellectus Patris, primo informatur quasi notitia simplici essentiæ, ad quam fuit quasi mere in potentia passiva, & factus in actu isto notitiæ simplicis, ut nudus, convertitur supra seipsum sic informatum: & in ipsum conversum,

a *Hanr. quodl. 6. q. 1. & in sum. ar. 54. q. 10.*



sum, quasi in passivum dispositum, sic imprimitur notitia declarativa virtute notitiæ actualis simplicis, quæ notitia declarativa est terminus actus dicendi, & verbum. Et secundum hoc patet, quod verbum est terminus generationis, sicut & Filius: & ita erit proprium secundæ personæ. Ista opinio recitata est supra *dist. 2. quæst.* de duabus productionibus. Contra istam opinion. Quantum ad primam quæst. arguo primo, quia irrationabile videtur ponere eandem potentiam esse activam respectu unius actus sui, & passivam respectu actus alterius, quia ex hoc videtur, quod non est potentia ejusdem rationis. Quæcumque enim potentia unius rationis importat similem habitudinem potentiæ ad objectum, Visus enim non est activus respectu unius actus videndi; & passivus respectu alterius. Unde quicumque actus unius potentiæ, habet similem habitudinem potentiæ ad objectum: igitur si intellectus est tantum passivus respectu notitiæ simplicis lapidis, & perfecte activus respectu converſionis, quæ est actus secundus, quo intelligit se intelligere lapidem, non erit, ut videtur, una potentia. Videtur etiam inconveniens, quod non possit habere aliquam activitatem respectu actus imperfectioris, & tamen possit esse totale activum respectu actus perfectioris, ponitur autem a quibusdam, quod converſio illa est actus perfectior intellectione simplici. Quod postea additur, quod intellectio actualis est ratio gignendi notitiam declarativam, hoc videtur esse inconveniens in potibis, quia forma imperfectior non potest esse ratio perfecta gignendi perfectam: illa autem prima notitia in nobis confusa est, & imperfectior notitia distincta: ergo, &c. Præterea, si notitia prima est ratio gignendi secundam, aut hoc est quando prima non est; & tunc non ens erit ratio agendi; aut quando est; & tunc aut sunt ejusdem rationis, aut alterius: si secundo modo, & prima est imperfectior secunda, non igitur est principium gignendi secundam, quia imperfectius non est principium producendi perfectum: unde in productione æquivoca semper causa est perfectior effectu; si primo modo, tunc duo actus intelligendi ejusdem speciei, sunt simul in eodem, sive in eadem potentia, quia memoria, & intelligentia sunt una potentia, & respectu ejusdem objecti, & in eodem instanti. Item tunc non poneretur Trinitas in mente, secundum quod mens est, quia mens non habet aliquam activitatem propriam, secundum quod mens est, sed præcise per accidens ejus per accidens, quod est notitia simplex: sicut nec lignum habet aliquam activitatem respectu calefactionis, quæ attribuitur sibi per calorem, qui est accidens ejus per accidens, & ita videtur Augustin. frustra quæsivisse in mente, secundum quod mens est parentem, & prolem: quia ratio parentis non videbitur competere animæ secundum aliquid sibi essentiale, sed secundum aliquod accidens præcise per accidens, quod imprimitur ei ab objecto. Præterea, gignere verbum, non est actus intelligentiæ, sed memoriæ, secundum Aug. (a) omnis autem intellectio actualis, est intelligentiæ

a 15. *Tri. c. 7. De hoc sup. d. 2. p. 2. q. 3.*

tiæ, non memoriæ, secundum cum 14. *de Trin. c.* 17. ergo nulla actualis intellectio est ratio gignendi verbum.

*Item sicut (a) intellectio confusa ad objectum confuse præsentatum, sic distincta ad distinctum, quare nec erit verbum objecti, sed actus.*

Præterea, quod dicit de conversione, quod illa sit necessario prævia gignitioni verbi, videtur esse contra August. 15. *de Trinit. cap.* 16. ubi videtur dicere, quod verbum perfectissimum nostrum erit in patria respectu objecti beatifici: & tamen ibi ille actus non erit conversivus, quia visio beatifica non habet aliquid creatum pro objecto immediato: omnis autem actus conversivus (in nobis, habet aliquid creatum pro objecto immediato; nec illa visio præsupponit conversionem, quia si illa visio est effectus solius essentiæ divinæ, aut intellectus cooperantis divinæ essentiæ, præcedit naturaliter conversionem intellectus super suum intelligere. Quod etiam dicit, quod ut convertitur est mere activus, & tamen ut conversus est mere passivus respectu notitiæ genitæ, quod est verbum, videtur valde irrationale, quod idem sub ratione, qua est activum, sit tantum passivum respectu actus ejusdem rationis, & inquantum est mere passivum, sit activum respectu actus ejusdem rationis: intellectus autem inquantum recipiens notitiam simplicem est tantum passivus, & inquantum est se convertens, est tantum activus: igitur videtur, quod inconveniens sit, quod inquantum conversus, sit passivus respectu generationis verbi, & inquantum habens notitiam simplicem, sit activus respectu ejusdem generationis.

*Præterea, (b) omni actu reflexivo potest haberi aliquis actus rectus perfectior, quia actus rectus intellectus, quo intelligit quidditatem, est perfectior eo actu, quo intelligit intellectum intelligere, quia habet objectum nobilius: ergo cum verbum sit notitia perfecta rei, non includit actum, quo scitat se scire.*

Contra etiam illud, quod dicit *ad secundum quæst.* videtur posse objici per idem, quia intellectus Patris, ut convertitur, est mere activus, & ut habens notitiam simplicem est mere passivus, secundum eum: igitur videtur inconveniens, quod ut conversus sit illud, de quo gignitur Verbum, & ut nosceus notitia simplici, sit ratio gignendi verbum quasi active. Præterea, aliqui dicunt conversionem istam intellectus paterni esse quasi dispositionem materiæ, quod videtur inconveniens, quia materiæ dispositio non est perfectior, neque æque perfecta cum forma activa agentis: hæc autem conversio est activa æque perfectus cum notitia simplici, vel perfectior: ergo, &c. Præterea, ista conversio est respectu primi actus, ut objecti: igitur est notitia declarativa illius actus sicut omnis notitia declarat objectum, cujus est: igitur ante gignitionem verbi, quæ sequitur istam conversionem, secundum eum, habetur notitia declarativa primi actus, & ita verbum ante verbum. Item ista opinio quantum ad hoc, quod ponit in-

a *Addit.* b *Additio.*



intellectionem Patris esse rationem gignendi verbum, improbata est supra *distinct.* 2. *quæst.* (a) de productionibus, & quantum ad hoc, quod ponitur intellectum Patris esse illud, de quo gignitur Verbum, improbata est ibidem, & etiam *distinct.* 5. (b) Et repeto unum argumentum ibi tactum, quia intellectus, ut conversus, est alicujus suppositi: conversio enim ista secundum eum est quædam actio intelligendi; actus autem sunt suppositorum: ergo conversio ista est alicujus suppositi. Quæro cujus suppositi est, ut convertitur? (c) Si verbi, & ut convertitur, præcedit gignitionem verbi secundum eum: igitur præcedit Verbum; & ita Verbum est ante Verbum; si Patris est ista conversio, & cujus est, ut convertitur, ejus est, ut de quo generatur Filius per impressionem: & cujus est, ut de quo generatur aliquid per impressionem, ejus est, ut illud impressum sit in illo, & per consequens ejus est, ut habet illud impressum: ergo a primo ad ultimum sequitur, quod intellectus Patris, ut Patris, habet formaliter notitiam genitam impressam sibi, & ita Pater formaliter intelligit notitia genita, quod est contra August. 7. *de Trinitate cap.* 3. Respondetur, quod sicut in generatione in creaturis est distinguere tria signa penda: secundum instans est, in quo materia est sub forma corruptibili natura, primum instans est, in quo materia est sub nulla forma, sed quasi nuda, & in proxima potentia ad formam generandam; & tertium instans, in quo est sub forma geniti. Ita correspondenter potest dici in divinis, quod intellectus in primo signo, ut est in Patre, sic convertitur super se, & ista conversio est quasi digestio materiæ ad generationem; & in secundo signo, in quo est quasi nullius personæ, tunc est in potentia proxima ad terminum generationis: & in tertio signo, in quo est sub proprietate personæ genitæ, est tunc illius personæ. Exemplum ponitur, si vinum sit in proxima potentia ad acetum, ita quod forma vini præexigitur ordine naturali in materia ad hoc, quod sit in potentia proxima respectu aceti; & cum hoc materia vini esset illimitata ad istas duas formas, & per consequens neutra inducta expelleret aliam; & si cum hoc utraque esset hypostatica dans esse personale, tunc acetum generaretur de materia, ut fuit vini, quasi de materia disposita dispositione prævia necessario præcedente formam istam. Sed si quæreretur, cujus est illa materia, ut immediate acetum generatur de ea? Respondeo, nullius, sed generatur de ea immediate, ut materia est sub neutra forma hypostatica. Per hoc ad formam argumenti hic in proposito conceditur, quod est Patris, sicut materia est vini, ut est disposita ad formam aceti. Et cum arguitur ut igitur est Patris recipit notitiam genitam, negatur consequentia: immo per hoc, quod recipit notitiam genitam, est alterius subsistentiæ; & est de quo immediate generatur Verbum, non ut Patris, sed ut conversus est. Et si contra hoc objicitur, quod non magis generatur de intellectu, ut est Patris, quam de intellectu, ut est Filii, vel Spi-

a *Par.* 2. *quæst. ultim.* b 1. *Metaphysic. in proœm.*
c *Hoc dictum est distinct.* 5. *quæst.* 2.

Spiritus sancti, negatur consequentia, quia est ibi duplex, *ut*, unum quod notat rationem immediati principii *de quo*, & hic generatur de quo Verbum, ut nullius, quasi de immediato principio susceptivo. Aliud, *ut*, est quod notat rationem immediati principii disponti ad formam illam, quæ est terminus, licet non sit ratio immediati receptivi: Absolute igitur Verbum generatur de intellectu, ut nullius: ut tamen præsuit Patris, & prius existens in Patre, ita quod neutra reduplicatio est præcise sine altera, & tamen per hoc, quod Verbum generatur de eo, non est in substantia verbi, neque Patris, neque nullius. Additur autem, quod decipiuntur aliqui arguentes contra istam opinionem, de quo quasi de materia, vel quasi materia: quasi imaginantes ibi esse distinctionem, quasi potentiæ passivæ ab actu, quod non est verum, sicut tenetur generaliter a quibusdam de attributis; sed tantum sicut est ibi sapientia formaliter sine distinctione: ita ponitur ibi, quod est vere impressio, & vere imprimens, & omnia quæ dicuntur ibi esse sine distinctione: distinctio autem istorum non est nisi per actum intellectus negociantis circa idem unum, quod est in re. Contra ista, generatio in creaturis videtur esse formaliter mutatio, propeo, quod materia ut nullius prius, postea intelligitur sub forma geniti: per hoc enim intelligitur transmutati a privatione ad formam, quæ transmutatio est formaliter generatio: igitur si sub hac ratione ponatur potentia passiva in divinis, erit tunc in divinis vera mutatio, saltem in intellectu negociante; & ita necessario imperfectio: vel si tantum per actum intellectus negociantis hac ista conversio, & gignitio verbi, verbum non erit persona realis, sed tantum rationis, & intentionalis. Confirmatur ratio in eorum exemplo, quia si vinum non corrumperetur in generatione aceti, vere tamen illa generatio erit mutatio a privatione ad formam, licet non concurrat ibi alia mutatio a forma ad privationem, sicut accidit omnio communiter; quando unum generatur, & aliud corrumpitur. (*a*) Tunc enim concurrunt ibi communiter duæ mutationes, & quatuor termini, duæ formæ, & duæ privationes: sed circumscripta altera mutatione, & terminis ejus, nihil minus esset reliqua mutatio: ergo ita erit in proposito, quod illud inquantum est prius nullius, & ita sub privatione termini ad quem, & post, sub illo termino mutatur. Præterea, si primo est Patris, secundo nullius, tertio est Filii per hoc, quod recipit notitiam illam impressam: ergo per hoc, quod est Filii, est quasi potentiale recipiens formale Filii, & est Filii, ut est terminus formalis communicatus Filio per generationem, sicut ostensum est *dist.5.* (*b*) ergo Filius quasi duplici modo habendi habebit intellectum, ita quod utrolibet istorum duorum modorum circumscripto nihil minus haberet alio modo habendi: sicut modo in creaturis, compositum habet materiam aliquid sui, & vere habet, licet non sit terminus formalis generationis: idem etiam compositum habet formam, ut aliquid sui, & vere habet, licet non sit subjectum generationis: consequens autem illatum, scilicet quod Filius duplici modo habendi, habeat essentiam sive intellectum, videtur impossibile tam in re, quam in consideratione intellectus negociantis: probatur etiam per hoc, quia quod est materiale generationis, est in potentia ad formalem terminum ejus, idem enim sub eadem ratione, nec in re, nec in mente est in potentia ad se: ergo nec intellectus erit sic simul potentia receptiva, & terminus formalis ejusdem generationis. Et quod additur de duplici, ut ex parte materiæ, quod ad illud, ut, quod est ratio proximi susceptivi, necessario præexigitur illud, ut, quod est ejusdem, ut sub forma ordinata ad formam generandam; videtur non esse per se requisitum in creaturis, quia si ponetetur materia illa, quæ est sub forma vini, absque omni forma: & agens creatum posset agere in illud sic a forma denudatum, ipsum esset proximum suscentivum cujuscumque formæ natæ imprimi in materiam puram, & ab agente sufficiente quocumque, a quo posset talis forma induci. Igitur secundum, ut, sufficit præcise in creaturis (*a*) ad potentiam proximam: licet frequenter modo concomitetur ille ordo illud, ut, quia nunquam materia est sine forma, & ut est sub forma, non transmutatur indifferenter a quacumque ad quamcumque per agens creatum, sed a determinata in determinatam: istud probatur, quia quando intelligitur, ut nullius, tunc non est sub forma priori, quæ ponitur quasi dispositio ad formam generandi; tunc igitur ordo ejus ad formam illam priorem, non est nisi relatio posterioris ad prius, quæ forte non est relatio positiva, quia terminus ad quem tunc non est ex natura rei, aut si est relatio realis: non videtur esse ratio propria in materia recipiendi formam induendam. Ex his ad propositum videtur, quod licet oporteat intellectum esse prius origine in Patre, quam in Filio: tamen si ponatur receptivus notitiæ genitæ, poneretur talis non essentialiter propter aliquem talem ordinem ad essentiam in Patre, sed secundum quod nullius est præcise, & secundum quod ipsi dicunt quasi nullius. Quod autem additur ad excludendum deceptionem, videtur esse dictum decepti: quia illud dictum videtur in se absurdum, & seipsum interimere: primum probatur per hoc, quia tunc ita vere ex natura rei intellectus est potentia passiva, & ita vere recipit, sicut Deus ex natura rei vere est actus purus, & sapiens, & bonus; quod videtur absurdum, quod illud, quod in creaturis necessario habet imperfectionem annexam, vel est imperfectio, sicut ratio potentiæ passivæ, quia semper dicit imperfectionem, prout dividit ens contra potentiam activam, quod ponatur ita veraciter in Deo, sicut illud, quod est perfectum simpliciter.

Et si dicas, immo potentia passiva dicit perfectionem, licet non distinctam ab actu; etiam hoc videtur esse falsum, quia nihil perfectionis est in creaturis inferius ratione potentiæ passivæ, inquantum passiva est: hæc enim ratio vere competit materiæ primæ, quæ ponitur infimum entium: ergo verius potest dici, quod sit formaliter lapis, quam po-

a 1. & 5. *Phys.* b *Supr. d.5. q.2.*



a 1. *Phys. t.43.* & *inde non quodlibet fit ex quolibet.*

potentia passiva, si propter perfectionem aliquam in ratione potentiæ passivæ, debet ibi poni formaliter potentia passiva. Secundum, scilicet quod hoc dictum interimat seipsum, probo, quia non videtur intelligibile, quod ibi sint relationes oppositæ, quin sicut sunt relationes oppositæ, ita sint relationes distinctæ: si reales, realiter, si rationis, ratione distinguuntur: ergo si ibi est ex natura rei imprimens, & quod imprimitur, & illud cui imprimitur, quæ non possunt intelligi sine relatione: erit ibi distinctio ex natura rei, quia ponere ibi ista ex natura rei sine omni distinctione, est contradictio, si sint ex natura rei: si non est natura rei, qualiter debent poni?

Ad quæstiones istas igitur aliter respondeo. Ad primam, quia ratio verbi præcipue accipitur ab August. *lib. de Trin.* supponenda sunt quædam certa, quæ secundum ipsum conveniunt verbo, & ex illis investigandum est quid est in intellectu, cui potissime illa conveniant, & id ponendum est Verbum. Et secundo per divisionem sunt illa removenda ab omni eo, quod non est verbum, sicut facit Philosophus 3. *Ethic.* ad inquirendum genus virtutis, ubi dividit illa, quæ sunt in anima, ut potentias, & passiones, & habitum. Tertio illis remotis, quæ non conveniunt illi, de quo quæritur. Verbum igitur secundum ipsum, est actus intelligentiæ, ut patet, comparando Trinitatem, quam ponit 9. *de Trinit. cap. ult.* Trinitati, quam ponit *cap.* 11. *lib.* 10. notitia enim correspondet intelligentiæ: verbum etiam non est sine actuali cogitatione, sicut patet 15. *de Trinit. cap.* 15. verbum etiam genitum est de memoria, vel de scientia in memoria, vel de objecto relucente in memoria, sive in scientia, sicut patet per ipsum 15. *de Tr. cap.* 10. *formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, & cap.* 14. *verbum nostrum de nostra scientia nascitur: & verbum Dei de Patris scientia natum est*, & ista omnia sunt eadem, quia secundum ipsum 9. *de Trinit. cap. ultimo, a cognoscente, & cognito paritur noti ia*: Quæ duo sunt una causa integralis respectu notitiæ genitæ: sicut dictum est *distinct.* 3. *q.* 7. Verbum etiam ab eo inquiritur propter imaginem in mente, & ponitur secunda pars imaginis, scilicet proles, sicut patet per ipsum 9. *de Trin. cap. ultimo*, est igitur *quædam imago Trinitas ipsa mens, & notitia ejus, quæ est proles ejus, ac de seipsa verbum ejus, & amor tertius*. Posset igitur describi Verbum, quod Verbum est actus intelligentiæ productus a memoria perfecta non habens esse sine actuali intellectione repræsentans Verbum divinum: propter illud enim Augustin. inquisivit de Verbo nostro. Ex his apparet, quod Verbum nihil est pertinens ad voluntatem, neque ad memoriam, quia est secunda pars imaginis, nec prima, nec tertia: & per consequens non est species intelligibilis, nec habitus, nec aliquid pertinens ad memoriam: est igitur aliquid pertinens ad intelligentiam, in intelligentia autem non videtur esse nisi vel actualis intellectio, vel objectum terminans illam intellectionem. (*a*) Vel secundum alios species genita in intelligentia de

a *Aegid. quodl.* 3. *q.* 12. 13. 14. *& quodl.* 5. *q.* 6.



de specie in memoria: quæ species in intelligentia præcedit actum intelligendi. Vel secundum aliquos est aliquid per actum intelligendi formatum. Vel secundum aliquos ipsamet intellectio, ut passio quasi causata a se, ut actio: & secundum hæc quinque possunt esse quinque opiniones de Verbo. Non est autem Verbum species in intelligentia prior actu intelligendi, quia talem speciem superfluum est ponere; ipsa enim non repræsentat perfectius objectum quam species in memoria, & sufficit habere unum perfecte repræsentans objectum ante actum intelligendi: quod autem non perfectius, probatur per August. 15. *de Trin. cap.* 13. *nihil plus in prole, quam in parente*. (*a*) Tunc etiam duæ essent species ejusdem rationis in eadem potentia, quia istæ duæ species sunt ejusdem rationis, & ipse intellectus, ut memoria, & ut intelligentia, est una potentia, quia idem est actus primus, & quo habens operatur, sive quo habens actum primum est in actu secundo. Tunc etiam habitus non esset immediatum principium actus, nec habens habitum esset in potentia accidentali ad agendum secundum illum habitum, quia requireretur forma prior ipsa operatione alia ab habitu, nec ista species in intelligentia posset poni generaliter, si numquam posset esse sine actuali intellectione, quia actuali intellectio subest imperio voluntatis: nec etiam posset dici pigni libere, vel ejus gignitionem subesse imperio voluntatis, ut videtur si ponatur forma prior ipsa ope ratione: quia videtur quod primum pertinens ad intellectum, quod est in potestate nostra, est actualis intellectio. Nec ipsum objectum potest poni Verbum, sicut dicit alia opinio, quia objectum secundum se non est aliquid productum virtute memoriæ, sive alicujus in mente, quale est Verbum: nec ipsum objectum, ut in memoria, producitur virtute memoriæ, ut patet: ipsum autem objectum, ut in intelligentia non gignitur (*b*), nisi quia aliquid prius gignitur, in quo objectum habet *esse*: Quia sicut dictum est *dist.* 3. ista actiones, & passiones intentionales non conveniunt objecto, nisi per aliquam actionem, vel passionem realem, quæ convenit ei, in quo objectum habet *esse* intentionale: nec etiam est terminus aliquis productus per intellectionem, quia intellectio non est actio productiva alicujus termini: tunc enim impossibile esset eam intelligere, & non esse termini, sicut impossibile est intelligere calefactionem esse, & non esse calorem, ad quem sit calefactio: non est autem impossibile intelligere intellectionem in se, non intelligendo, quod sit alicujus termini, ut producti per ipsam. Confirmatur etiam, quia operationes tales dicuntur esse actus ultimi *ex* 1. *Ethic. & 9. Metaph.* De hac materia dictum est supra *distinct.* 3. qualiter (*c*) est quædam actio de genere actionis, & alia, quæ est qualitatis: ejusmodi est intellectio. Improbatur etiam hæc via, & sequens de intellectione passione per idem medium, quia tunc intelligentia gigneret Verbum, & non memoria, quod est contra Augustin. intelligentia enim produceret illum terminum actionis intelligen-



a *Scotus sup. d.* 3. *q.* 2. *& 6. & 7.* b *Scotus sup. d.* 3. *q.* ult.
c *Cap.* 9. *Tex.* 16. *quodl. & præced. & quodl. b.* 1. *& 9. Met.*

di, si quis esset, & intelligentia produceret intellectionem passionem, si qua esset. Ista etiam via de intellectione actione, & passione, non videtur rationabilis, quia intellectio est forma una, quæ licet posset comparare ad agens, a quo est, & ad subjectum in quo recipitur; tamen ipsa ex hoc non habet talem distinctionem, ut possit esse quasi causa sui, vel esse terminus actionis secundum hoc, & non secundum illud: quia si est terminus actionis, hoc est secundum se, nec secundum istum respectum, nec secundum illum, sed eam concomitantur isti respectus. Sequitur igitur per viam divisionis, quod verbum est actualis intellectio, & hoc confirmatur per August. 15. *de Trinit, cap.* 16. *Cogitatio quippe nostra perveniens ad illud, quod scimus, atque inde formata verbum nostrum est.* Idem etiam habetur ab eodem 15. *de Trinit. cap.* 10. *formata quippe cogitatio, &c. verbum est*: sicut supra dictum est. Et confirmatur istud per simile de verbo vocali, & imaginabili: formatur enim Verbum vocale ad significandum, & declarandum illud, quod intelligitur: sed quod vox non statim formatur ab intelligente inquantum intelligens, sed per aliquam potentiam mediam, puta motivam, hoc est imperfectionis in intellectu: si igitur statim gigneretur, vel formaretur, ut expressivum illius, quod latet in intellectu, & hoc virtute intellectus intelligentis, non minus esset verbum: objectum autem habitualiter cognitum latet in memoria: si igitur virtute ejus statim causaretur aliqua intellectio actualis, quæ genita exprimat: & declaret illud objectum ibi latens, vere est ibi verbum: quia expressivum latentis, & genitum virtute ejus ad exprimendum ipsum: Sed restat dubitatio ulterius, utrum quælibet intellectio actualis sit Verbum. (*a*) Ad hoc dicitur, quod non: sed oportet addere quasi differentiam specificam, quæ est declarativa. Contra hoc arguitur, quia in Patre est notitia declarativa formaliter: nam intellectio, quæ est Patris, inquantum est intelligentia, est declarativa Patris inquantum est memoria ita perfecte, sicut actualis intellectio, ut in Filio, declarat habitualem, ut in memoria Filii: in Patre tamen non est Verbum formaliter, sicut dicetur in solutione quæst. Similiter verbum declarat se secundum August. *de Trinit. cap.* 3. *Si*, inquit, *hoc verbum, quod nos proferimus temporale, & seipsum ostendit, & ipsum de quo loquimur; quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, &c.* supple seipsum ostendit: declarare igitur non dicit relationem realem, nec per consequens relationem geniti: Verbum autem non est nisi intellectio genita, alioquin posset poni in parte formaliter. Aliter dicitur quantum ad istum articulum quod Verbum est notitia actualis, quæ est terminus inquisitionis, quod ostenditur per Augustin, 9. (*b*) *de Trinitate cap. ult.* ubi dicitur, *quod Verbum est partum sive proles*: est autem partum, quia est repertum: non est autem repertum nisi quia inquisitum: unde vult, quod partum istum mentis præcedit appetitus impellens intellectum ad inquirendum: idem videtur velle 15. *de Trinitate c.* 15. *Tunc fit verum verbum, quando illud, quod nos diximus volubili motione jactare ad illud, quod scimus, pervenit, atque inde formatur, ejus omnimodam similitudinem capiens, ut quomodo res quæque scitur, sic etiam cogitetur*; ista autem volubilis cogitatio est inquisitio, qualis non erit in patria, sicut innuit, *cap.* 16. *Fortassis etiam non erunt ibi volubiles cogitationes nostræ, &c.* Ponitur tunc, quod post notitiam conjugum sequitur inquisitio per divisionem, & argumentationem: & ultimo devenitur ad perfectam notitiam, quæ quasi gignitur ipsa inquisitione, & illa perfecta notitia, quæ est terminus inquisitionis est Verbum. Contra istud arguitur sic. Si de ratione verbi sit sic gigni inquisitive, igitur Deus non habet Verbum. Secundo, igitur Angelus non habet verbum de naturaliter sibi cognitis. Tertio, igitur Beatus non habet verbum de essentia divina, nec de aliquo perfecto cognito sine inquisitione. Quarto, igitur habens perfectam scientiæ habitum statim operans per illum habitum non potest habere verbum: quæ omnia videntur absurda.

a *Henr. quodl.* 2. *qu.* 6. b *Quare D. Tho. & Henr.*

Ideo istis opinionibus omissis, quoad istum articulum dico, quod non quælibet intellectio actualis est verbum, sicut probatur contra istam viam, quæ ponitur declarativum esse proprium verbi; sed tantum notitia genita: ideo in Patre non est verbum formaliter: quælibet autem notitia genita, quam Augustin. vocat prolem, est verbum, non tamen eo modo, quo Augustin. ponit Verbum perfectum quod scilicet repræsentet Verbum Divinum. Primum istorum declaro, quia quælibet intellectio actualis gignitur de memoria: imperfecta autem de imperfecta, sicut perfecta de perfecta; igitur quælibet notitia est proles, & expressiva parentis, & genita ad exprimendum parentem, & istud confirmatur per Augustin. 9. *de Trinitate cap.* 10. *Omne, quod notum est, verbum dicitur, animo impressum, quamdiu de memoria diffluit, & proferri potest*, item 15. de Trin. cap. 12. *igitur nec interest quando illud dicerit, qui quod scit loquitur: aliquando enim statim ut discit, hoc dicit*: & breviter quæcumque differentia inveniatur inter notitiam primam genitam imperfectam, & illam, quæ sequitur inquisitionem, non est differentia formalis, propter quam hæc possit dici Verbum, & ista non, ut videtur: Secundum declaro sic, scilicet, quod intellectus noster non statim habet perfectam notitiam objecti; (*a*) quia secundum Philos. 1. *Physicor.* innata est nobis via procedendi a confuso ad distinctum, & ideo prius ordine originis imprimitur nobis notitia objecti confusa, quam distincta: & ideo necessaria est inquisitio ad hoc, ut intellectus noster veniat ad distinctam notitiam: & ideo necessaria est inquisitio prævia verbo perfecto, quia non est verbum perfectum, nisi sit notitia actualis perfecta. Sic igitur intelligendum est, quod cognito aliquo objecto confuse, sequitur inquisitio per viam divisionis differentiarum convenientium illi: & inventis omnibus illis differentiis, cognitio diffinitiva illius objecti, est actualis cognitio perfecta, & perfecte declarativa illius habitualis notitiæ, quæ pri-





a *Text.* 2.

primo erat in memoria (a) & ista distincta notitia, perfecte declarativa, est perfectum verbum: hoc dicit Augustin. 9. de Trinitate cap. 10. *Nam placet mihi, quod novi, & diffinio quid sit intemperantia, & hoc est verbum ejus*; & ibidem præmisit in eodem cap. Augustin. quod jam superius positum est, quamdiu de memoria proferri, & diffiniri potest, id est, distincte; & diffinite actualiter cognosci virtute ejus, quod est in memoria. Non igitur de ratione verbi est gigni post inquisitionem, sed necessarium est intellectui imperfecto, quia non potest statim habere notitiam diffinitivam objecti; habet enim notitiam talem post inquisitionem, & ideo verbum perfectum non est nobis sine inquisitione, & tamen quando verbum perfectum sequitur talem inquisitionem, illa inquisitio non est generatio ipsius verbi formaliter, sed quasi prævia ad hoc, ut generetur Verbum, quod bene innuit Augustin. in auctoritate præalleg. *lib. 15. de Trinitate cap. 15. Hac atque illac volubili quadam motione jactamur, cum a nobis nunc hoc, nunc illud sicut invenium fuerit, vel occurrerit, cogitatur; & tunc fit verum Verbum, quando ad illud, quod scimus, pervenit, atque inde formatur Verbum ejus, &c.* innuens, quod illa jactatio, id est, inquisitio non est gignitio verbi formaliter, sed eam sequitur gignitio verbi de eo, quod scimus, idest, de objecto in memoria habitualiter cognito. (b) Et tunc si objiciatur, ad quid tunc inquisitio esset necessaria? Posset dici ad istud, quod motus est necessarius ad hoc, ut inducatur forma perfecta, quæ non posset statim in principio motus induci; vel inductio multarum formarum ordinatarum ad inductionem ultimæ formæ, & absque illo ordine formarum non posset ultima forma induci statim: & sic secundum hoc ponitur iste ordo, ita quod primo est habitualis notitia confusa, secundo actualis intellectio confusa, tertio inquisitio, & in inquisitione multa verba de multis notitiis habitualibus virtualiter contentis in memoria, quam inquisitionem sequitur distincta, & actualis notitia primi objecti, cujus cognitio inquiritur: quæ notitia actualis distincta imprimit habitualem in memoria perfecta, & tunc est primo memoria perfecta, & assimilatur memoriæ in parte, Ultimo ex memoria perfecta gignitur verbum perfectum sine inquisitione mediante inter ipsam, & verbum, & illa gignitio assimilatur gignitioni Verbi divini perfecti ex memoria paterna perfecta; nullum igitur verbum est perfecte repræsentans Verbum divinum, quod positime investigat Aug. nisi illud, quod gignitur de memoria perfecta sine inquisitione media inter talem memoriam, & tale verbum: licet nec illa memoria possit haberi in nobis propter imperfectionem intellectus nostri, nisi præcedat inquisitio. Ultimum dubium istius quæstionis est. Utrum ad rationem verbi concurrat voluntas, puta utrum de ratione ejus sit, quod sit notitia voluntate genita; vel voluntate agente, vel copulante eam memoriæ, secundum Augustin. in multis locis. Istam quæstionem movet Augustin. 9. de Trinitate cap. 10. *recte ergo*, inquit, *quæritur utrum omnis notitia sit verbum, an tantum amata no-*

a 2. Post. Tex. 17. b Ut inquit Aver. 1. Met. com. 17.



*notitia. Novimus enim, & exquæ odimus, sed nec concepta, nec parta dicenda sunt animo.* Et respondet, *non omnia, quæ quoquo modo tangunt, concipiuntur: sed aliqua, ut tantum nota sint, non tamen verba dicantur sicut illa, de quibus nunc agimus: aliter enim dicuntur verba, quæ spatia temporum syllabis tenent: aliter omne, quod notum est verbum dicitur, quandiu de memoria proferri, vel diffiniri potest, quamvis res ipsa displiceat*: & subdit postea. *Verumtamen cum illa, quæ odimus recte displicent, rectoque improbantur, approbatur eorum improbatio, & placet, & verum est, & neque vitiorum notitia nobis displicet, sed ipsa vitia*: ita quod de ratione verbi non est gigni amore objecti cogniti; sed nec etiam gigni amore notitiæ, quæ est verbum; tamen concomitatur perfectum verbum duplex actus voluntatis; unus prævius, quo imperatur actus ille, & inquisitio prævia, sine qua non pervenitetur ad verbum perfectum, sicut patet 9. de Trinit. ult. cap. & alius, quo intellectus quiescit in intellectuali notitia jam habita, sine quo non permaneret intellectus in noritia jam habita. Non igitur actus voluntaris est de essentia verbi, nec formaliter, nec ut causa; sed concomitatur necessario ad generationem ejus in nobis propter inquisitionem ejus prævium, & ad continuationem ejus similiter; propter hoc, quod si intellectio voluntati non complaceret, in ista notitia intellectus non permaneret in ea, & ita ista notitia non haberet rationem verbi permanentis; ista tamen permanentia non est de ratione perfecti (a) verbi intensive, quia non minus perfecta est albedo unius diei, quam unius anni: voluntas autem respiciens objectum, cujus est verbum, non pertinet ad rationem verbi, nisi strictè sumendo verbum, quo modo Augustin. pertractat, (b) c. præall. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*; hoc dicere includit acceptationem objecti dicti, & addit aliquid ultra rationem verbi absolute.

Ar argumenta hujus quæstionis. Ad primum patet, quod illa auctoritas indiget expositione: dicit enim ibi, *ipsa phantasia ejus, scilicet Carthaginis, in memoria mea verbum est*: patet autem secundum ipsum 15. de Trin. cap. 15. quod verbum non est formaliter in memoria: ergo oportet quod intelligatur causaliter non formaliter. Ad secundum, licet magna altercatio fiat de voce, utrum sit signum rei, vel conceptus: tamen brevitet concedendo, quod illud, quod significatur per vocem proprie est res: sunt tamen signa multa ordinata ejusdem significati, litera, vox, & conceptus: sicut sunt multi effectus ordinati ejusdem causæ, quorum nullus est causa alterius, ut patet de Sole illuminante plures partes medii; & ubi est talis ordo causatorum, absque hoc, quod unum sit causa alterius, ibi est immediatio cujuslibet respectu ejusdem causæ, quorum nullus est causa alterius, excludendo aliud in ratione causæ; non autem excludendo aliud in ratione effectus in mediatioris. Et tunc posset concedi aliquo modo effectum propinquiorem esse causam respectu effectus remotioris, non pro-



(a) 1. Et 6. c. 7. b 1. Cor. 12. c 1. Periherm.

proprie, sed propter prioritatem illam, quæ est inter tales effectus ad causam; ita potest concedi de multis signis ejusdem significationis ordinatis, quod unum aliquo modo est signum alterius, quia dat intelligere ipsum, quia remotius non significaret, nisi ptius aliquo modo immediatius significaret: & tamen propter hoc unum proprie non est signum alterius, sicut ex alia parte de causa, & causatis. Ad tertium concedo, quod notitia est proles, & vere genita, sed productio illa non est actualis intellectio, quia, ut dictum est supra, actualis intellectio non est actio de genere actionis, sed est qualitas nata terminare talem actionem, quæ significatur per hoc, quod est dicere, vel in communi per hoc quod est elicere: non igitur verbum est aliquid productum actione, quæ est intellectio, quia ipsa intellectio non est productiva alicujus, sed ipsa est producta actione, quæ est de genere actionis, sicut dictum est supra.

Ad secundam quæstionem dico, quod idem per se significat abstractum, & concretum, licet alio modo significandi, sicut *filius*, & *filiatio*: quia sicut *filiatio* (a) significat relationem de genere relationis, ita & *filius*, per modum tamen denominantis suppositum relativum, & hi accipiatur substantive, idem significat cum tali subsistente: ita igitur idem significat *verbum*, & abstractum ejus; abstractum autem ejus si esset nominatum, esset *verbatio*, quæ notat relationem formaliter, idem enim significat, quod expressio passiva alicujus de intellectu: sed sicut *filius* connotat naturam viventem, in qua est talis relatio: ita *verbum* connotat actualem noritiam, cujus est talis expressio. Igitur cum in divinis intellectualiter exprimi sit proprietas secundæ personæ, sequitur quod verbum sit ibi mere personale, & significet proprietatem personalem. Patet etiam, quod ratio gignendi verbum non est pater ut actu intelligens, sed pater ut memoria perfecta, scilicet ut intellectus habens objectum actu intelligibile sibi præsens, sicut declaratum est supra *dist.* 2. *quæst. de productionibus*. Patet etiam, quod verbum non potest habere aliquid, de quo producatur, *ex dist.* 5. quia si principium productivum habeat virtutem sufficientem ad producendum per se subsistens, producit tale, & maxime si tale non sit natum alicui inhærere: notitia autem ista expressa non est nata alicui inhærere: igitur est nata per se subsistere, & principium productivum ejus est sufficientis virtutis, quia est infinitum: igitur, &c.

Ad argumenta, cum primo arguitur secundum Aug. *de Trin.* 15. *Verbum est cum amore notitiæ*, dico quod per hoc, quod dicit cum amore, circumloquitur in nobis notitiam genitam, quia amor non habet causalitatem respectu verbi, nisi ut imperat intellectui gignitionem ipsius, sicut dictum est *quæst. præced.* in divinis autem Verbum est notitia naturaliter expressa, quia quod voluntas in nobis habeat causalitatem respectu verbi gignendi per imperium ejus, hoc est imperfectionis in intellectu quia non statim habet verbum perfectum & de

a *De quo sup. d. 5. q. 2. §. ad arg.*



& de hoc quomodo differenter voluntas se habeat in Deo, & in nobis, dictum est *dist.* 6.

Ad aliud 15. *de Trinitate*, concedo in parte intelligentiam formaliter, sed nego istam, quod omnis actus intelligentiæ formaliter est verbum: quia hoc non est verum nisi de intelligentia illa, quæ potest habere aliquem actum genitum, vel notitiam genitam: talem actum non potest intelligentia habere, ut patris est, quia pater est a se, & nihil habet per generationem, tamen potest concedi, quod intellectio actualis patris est quasi genita virtute memoriæ, ut in parte: sed non vere genita, quia non distincta. Ad tertium dico; quod non sunt duo propria, sed idem, quia eandem relationem per se significant filius, & verbum, licet alia connotent, quia filius naturam viventem in communi, & verbum notitiam intellectualem actualiter expressam: ista connotata non semper sunt eadem, sed relatio passiva significata semper est eadem.

Ad tertiam quæstionem dicitur, quod sic propter auctoritatem Augustin. 83. *quæst.* 63. ibi enim loquens de principio Evangelii, Joan. ait, quod *Græce logos dicitur, Latine, & verbum, & rationem significat*: sed hoc loco melius verbum intepretatur, ut significetur non solum ad patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per verbum facta sunt operativa potentia. Additur etiam, quod verbum dicit proprium respectum ad creaturas, quia verbum ex ratione sui est notitia declarativa; ergo competit sibi ex ratione sui declarare: appropriatur etiam filio relatio ad creaturas: appropriatio autem non fit nisi propter convenientiam talis appropriati ad proprietatem personæ, cui illud appropriatur; & declaratur istud per simile de dono, & simili modo ponitur sicut ibi; quod donum ut connotat relationem aptitudinalem, pertinet ad proprietatem Spiritus sancti: ita verbum, ut dicit relationem aptitudinalem, non actualem, nec habitualem, pertinet ad secundam personam. Contra istud potest argui, sicut supra argutum est de dono, quia nullus respectus ad creaturam est proprietas personæ divinæ, nec per se intrinsece indiditur in aliqua proprietate personæ divinæ, sicut probatur ibi; ita potest hic probari, quod concedo. Tunc non est vis, nec contentio de re, nec de aliquo intrinseco personæ divinæ, sed solum de hoc nomine *verbum*; formaliter enim respectus notitiæ expressæ ad exprimentem, alius est a respectu illius ad creaturam declaratam, quia ad alium terminum; & non solum hoc, sed etiam respectus verbi expressi ad exprimentem, & respectus ejusdem, ut declarantis ad eundem ut declaratum, sunt duo respectus, quia primus realis, & secundus rationis. Isti autem duo non faciunt aliquid unum per se, quia res vera, & ens rationis, nihil unum per se constituunt: ideo si ambo isti respectus uno nomine significentur, non propter hoc faciunt unum per se conceptum, sed alter eorum præcise est proprietas secundæ personæ, scilicet, expressio illa passiva, quæ est respectus realis: alter autem, scilicet respectus declarativi est respectus rationis tantum, sive sit ad Patrem declaratum, sive ad creaturam declaratam, quod

quod aliqualiter tactum est supra per auctoritatem Aug. 7. de Trinit. c. 3. ubi vult, *quod verbum declarat se*: & idem 15. de Trin. c. 14. *proinde*, inquit, *tanquam seipsum dicens, pater, &c. hoc est seipsum perfectissime declarans*, &c. ex quibus duabus auctoritatibus patet, quod idem potest ad se referri, ut declarans ad declaratum, & per consequens non est relatio realis. Sed posito hoc de istis respectibus in se, quod alter sit proprietas, & alter non: quid dicetur de hoc nomine *verbum*, numquid significat utrumque, vel alterum? Videtur quidem, quod *verbum* significet per se respectum istum realem, & primo, quia ejus abstractum, ut dictum est prius, significat eundem; sed quia connotat notitiam perfectam, quæ notitia habet respectum rationis ad cognita per eam; ideo etiam connotat quasi adhuc remotius rationem declarativi: & ita *verbum* significabit proprietatem secundæ personæ, licet connotet aliquid absolutum in illa persona, quod est quasi terminus formalis productionis illius personæ, & mediante illo quasi remotius connotat respectum ad omne illud, ad quod illud absolutum potest habere respectum rationis, scilicet ad omnia declarata. Ad August. 6. de Trinitate, concedo, quod filius est ars: ita etiam dicitur sapientia Patris, & virtus: & tamen sicut Pater formaliter est sapientia, & virtus, ita etiam formaliter est ars: si autem pater formaliter creat, & hoc ut artifex, creativa ratio formaliter est in patre, & ita ille respectus artis ad creaturas, ut ad artificiata, est communis tribus, licet approprietur filio, sicut sibi appropriatur sapientia propter convenientiam cum productione sua. Ad illud pro opin. de 83. q. q. 63. potest dici, quod melius interpretatur logos Græce per illud, quod est verbum, latine, quam per illud quod est ratio: quia ratio non ita significat respectum ad patrem, sicut verbum: nec etiam ita connotat respectum ad declarata, sicut verbum: non autem vult August. dicere, quod verbum dicat essentialiter relationem ad creaturam, sub ratione declarativi, quia dicit, ut *significetur non solum ad patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per verbum facta sunt operativa potentia*, verbum autem non dicitur operativa potentia Patris, nisi sicut dicitur sapientia Patris, & ars Patris, quæ non sunt ejus, nisi secundum appropriationem; aut si aliter intendat, quod hoc nomen Verbum utrumque respectum significet, tunc non significat præcise proprietatem secundæ personæ, sed cum hoc alium respectum appropriatum, & tunc congrua est interpretatio legos in *verbum*, & non in *rationem*: quia ratio nec respectum proprium, nec appropriatum ita significat; vera est quidem interpretatio in verbum, propterea quod plus dicit, quam proprietatem personæ, nec August. dicit interpretationem esse in aliquid, quod significat proprietatem personæ secundæ. Cum additur postea, quod verbum dicit respectum ad creaturas proprium sibi; hoc videtur multo ad creaturam relatio pon includitur in ratione essentiali alicujus personæ, sed nec aliquo modo potest pertinere ad aliquam, quin uniformiter pertineat ad totam Trinitatem, quia tota Trinitas uniformiter se



se habet ad omne aliud a se secundum quodcumque *esse*, sive secundum esse in re, sive secundum *esse* intelligibile. Et cum probatur per declarativum, dico, quod intellectio actualis patris est declarativa: nec declarativum est propria ratio verbi, sed notitiam expressam concomitatur declarativum, quia illa expressio est notitiæ actualis, vel in notitia actuali, & ideo sibi appropriatur declarativum, licet non sit proprium ejus. Cum additur postea, quod appropriatio non sit nisi propter convenientiam cum proprio: non sequitur ex hoc, quod appropriatum sit proprium, sed oppositum: & concedo, quod proprium illi, quod est exprimi: habet convenientiam cum sapientia, & declarativo, & cum arte, pro eo, quod ista expressio est alicujus per modum intellectus, & virtute intellectus, & talis expressio est notitiæ actualis, cujus est declarare notitiam habitualem, de qua exprimitur. (a) Sed tamen hæc est difficultas melior, quam sit ista de ratione declarativi, scilicet utrum verbum exprimatur virtute intellectus paterni, non tantum de essentia divina, quasi objecto præsente intellectui patris; sed de aliis intelligibilibus, ut sic habeat respectum ad creaturas, non ut in se sunt, sed ut habent esse in intellectu paterno, prius origine, ut videtur, quam verbum exprimatur: & tunc haberet ad illam relationem expressi: esset enim tunc verbum expressum non tantum de essentia, ut objecta intellectui patris, sed etiam de aliis intelligibilibus, & de hac difficultate alias in quæstione de uniformi habitudine Trinitatis ad alia a se.

*Utrum per rationem naturalem possit cognosci Verbum non esse essentiale in divinis? (b) Quod non, quia tunc Trinitas ratione naturali cognosceretur. Item in creatura verbum est æque, scilicet cujuslibet suppositi in natura.*

*Contra, cognoscitur non esse verum primam personam esse verbum, sed alia est prima. Solutio. ad illud de negationes patet, quod conceptus termini sive verus in se, sive non, ostendit negationem de affirmativa, hæc posset demonstrari, nam propter effectum causantem conceptum communem potest, non per impossibile, & quodlibet contrarium solvi. Virum ratio Verbi sit prior respectus filii in secunda persona, quod sic, quia est magis per se terminus principii productivi. Contra, non prior notitia. Contra 7. de Trinit. c. 4. opinio veri intelligibilis. Contra, natura substantiæ dicit principium moderativum. Solutio. Filius est subsistens in natura intellectuali, genitus virtute naturæ ejusdem, respectu existentis in eadem natura.*

## DISTINCTIO XXVIII.

CIrca istam distinctionem vigesimam octavam, in qua Magister agit de proprietatibus constitutis tria quæruntur. Primo quæro.

QUÆ-

a *Supra dist. 1. quæst. 2. art. 2. & 2. dist. 1. & quodl. 8. art. 3.*
b *Addit.*

## QUÆSTIO PRIMA.

*Utrum ingenitum sit proprietas ipsius Patris?*

QUod non: primo sic. Nulla proprietas dicitur formaliter de essentia: hoc probatur per rationem, quia tunc ipsa distingueretur: patet etiam exemplo, sicut essentia non dicitur formaliter generans, nec genita, spirans, nec spirata, sed essentia, ut videtur, est formaliter ingenita; ergo ingenitum non est proprietas alicujus personæ. Spiritus sanctus etiam est ingenitus formaliter, ut probabo: ergo esse ingenitum non est proprietas patris; probatio assumpti, quia essentia non est genita; ergo est non genita: consequentia patet per Philosophum 2. *Peribermenias*, (a) quia affirmativa de prædicato infinito, sequitur ad negativam de prædicato finito, & e converso cum constantia subjecti, & ulterius: ergo est ingenita. Hæc consequentia probatur per August. 5. *de Trinitate cap.* 7. qui dicit, quod idem est ingenitum, & non genitum: consimiliter argui potest de Spiritu sancto, si non est genitus: ergo est non genitus: & ultra, igitur est ingenitus.

Præterea, omnis proprietas personalis est relativa, quidquid ad se dicitur commune est tribus, ex 5. *Trinit.* ingenitum autem non dicit relationem, ut probabo: ergo, &c. Probatio minoris, quia si sic: igitur omne ingenitum est relatum, hæc etiam est vera; omne genitum est relatum: hanc converto per contrapositionem: ergo omne non relatum est non genitum: tunc arguo, omne non genitum est relatum: omne non relatum est non genitum: ergo omne non relatum est relatum. Conclusio impossibilis; ergo aliqua præmissarum; non ista, quæ sequitur ex vera per conversionem per contrapositionem: ergo alia. Item si innascibilitas esset proprietas patris; ergo inspirabilitas esset notio Patris, & Filii: & ita essent sex notiones, quod negatur communiter. Præterea, Ambros. 4. *de Spiritu sancto*, noluit uti hoc nomine ingenito, sicut Magister dicit in litera. Oppositum Augustini ad Orosium 2. *Non duos esse ingenitos certa fides declarat.*

## QUÆSTIO II.

*Utrum innascibilitas sit proprietas constitutiva primæ personæ in divinis?*

SEcundo quæritur, Utrum innascibilitas sit proprietas constitutiva primæ personæ in divinis? Quod sic. Damasc. *lib.* 1. *c.* 2. *Omnia sunt unum præter ingenerationem, generationem, & processionem*, constat,

a *Scot.* 2. *Peri.* q. 2. 3. 4. & 5.



stat, quod non excludit omnes proprietates personales, quia tunc in Patre non esset aliqua proprietas, nisi innascibilitas: igitur excludit omnia alia in ratione proprietatis personalis constitutivæ: ergo vult omnes istas, & solas esse tales relationes: igitur ingeneratio est proprietas constitutiva personæ. Oppositum: sicut secunda persona se habet ad filiationem, sic prima persona ad paternitatem; sed filiatione constituitur secunda persona: ergo & paternitate prima. Ad primam quæstionem dico, quod duo sunt videnda: primo, qualiter ingenitum soli patri conveniat; & secundo, quomodo possit esse proprietas, cum videatur tantum negationem importare.

Quantum ad primum dico, quod omnis dictio composita ex aliquo multiplici, & particula privativa est dupliciter multiplex; tum ex multiplicitate affirmationis oppositæ, tum ex multiplicitate privationis, sicut patet per Philosophum 5. *Metaph. cap. de potentia*, (a) ubi impotentiam distinguit secundum multiplicitatem potentiæ, & præter hoc secundum multiplicitatem privationis, quæ ponitur *cap. de privatione*, *eodem* 5. (b) & ita hoc nomen *ingenitum*, est multiplex, ex multiplicitate ejus, quod est genitum, & multiplicitate particulæ privativæ. Quantum ad primum, genitum dicitur proprie productum per generationem, ut primus terminus; extendendo autem genitum, dicitur genitum communicatum per generationem, quod est terminus formalis generationis, sicut dicit Hilar. (c) *Quod nihil nisi natum habet filius*. Tertio modo extenditur genitum ad productum, sive ad præexigens generationem, licet ipsum in se non sit terminus generationis, nec primus, nec formalis. Privatio etiam, licet multipliciter possit distingui, in privationem proprie dictam, puta quando aliquid caret eo, quod natum est habere, & quando, & ut oportet, &c. & in privationem communiter dictam, scilicet quando aliquid caret illo, quod natum est habere, non tamen secundum conditiones prædictas, & adhuc communius quando caret illo, quod ipsum natum est habere, non secundum se, sed secundum genus: sicut talpa dicitur cæca, quia visio, qua privatur per cæcitatem, non repugnat animali secundum genus, licet repugnet talpæ secundum se: & isto modo, tanto generalius aliquid diceretur privatum, quanto habitus, cujus est privatio, natus est competere communiori convenienti ipsi privato, puta communius diceretur privatum aliquid, quod non haberet illud, quod natum est sibi competere secundum rationem corporis, quam cui natum esset competere secundum rationem corporis animati; & adhuc communius, quod natum esset habere secundum rationem substantiæ, quam quod natum esset habere secundum rationem corporis: & communissime, si natum esset habere illud secundum rationem entis. Exemplum primi, si lapis dicitur esse inanimatus,

a *Tex.* 17.
b *Tex.* 27.
c 5. *Met.* t. 27. & 10. *Met.* t. 19.

tus, & privati anima, hoc est, quia convenit sibi secundum rationem corporis, cujus animatum est differentia. Exemplum secundi, sicut Angelus dicitur incorporeus. Exemplum tertii, sicut omnis creatura dicitur imperfecta, non quia nata sit habere omnem perfectionem in suo genere: sed quia habere omnem perfectionem, non repugnat enti, quia uni soli enti convenit esse simpliciter perfectum. (a) Negatio etiam distinguitur per negationem extra genus, quæ contradicit affirmationi simpliciter; & ita vera est de quolibet, de quo falsa est affirmatio, sive de ente, sive de non ente. Alia est negatio in genere, & ista præsupponit naturam generis de qua dicatur; & ita potest intelligi multipliciter secundum multiplex genus communius, & minus commune. Ad propositum igitur laquendo de multiplicitate importata per hanc particulam, *in*, licet fiat altercatio, utrum importet negationem in genere, vel privationem: tamen videtur, quod idem sit in proposito, accipiendo negationem secundum genus communissime, si natum est habere illud: & privationem secundum genus communissime, quia negatio in apto nato, est privatio secundum Philosophum 4. *Metaph.* (b) ita quod nihil addit privatio ultra negationem, nisi quod requirit naturam aptam in qua fit; igitur negatio in genere, quocumque modo accipiatur genus, cum sit in apto nato alio quo modo, licet non secundum se apto, ipsa erit privatio aliquo modo secundum genus, licet non proprie in tali, secundum quod tale. Et si objicias contra hoc, quia nulla est privatio in divinis, quia privatum est imperfectum, Respondeo, quod hoc concludit de privatione secundum rationem propriam subjecti privatissi enim ipsum carens aliquo, natum esset secundum se habere illud, imperfectum esset: sed si natum sit secundum rationem generis, non autem secundum se habere illud, non esset imperfectum, licet careret ipso. Quod autem hoc modo multæ privationes accipiantur in creaturis patet, non solum per illud Philosophi de talpa, sed etiam per communem divisionem communis in habitum, & privationem: sicut animal in rationale, & in irrationale: irrationale quidem dicit privationem in bove, non ejus, quod natum est haberi in bove secundum speciem; sed ejus, quod natum est haberi in eo, secundum quod est animal: genus quidem quasi commune habitui, & privationi, est illud, cui convenit aptitudo ad utrumque. In proposito autem extendendo illud, quod est genus, sive intelligamus pro privatione, sive negatione secundum genus (per quæ ambo idem intelligo) possumus accipere quasi genus hic, quod est commune ad tres personas, ut persona, sive subsistens; & tunc dicamus patrem privari aliquo secundum genus, vel quod in patre dicatur negatio aliqua secundum genus alicujus, quod natum est competere, non tantum enti, sed supposito, quod est commune Patri, & Filio, & tunc hoc nomen ingenitus poterit ad propositum

a 1. *Post. to. c.* 10.
b *Tex.* 4.



situm quadrupliciter accipi. Uno modo proprissime prout significat carentiam propriam ejus, quod importatur per hoc nomen *genitum*, ut scilicet primi producti per generationem: & hoc modo non est in divinis, quia ibi nihil caret eo, quod sibi natum est in esse. Secundo modo prout significat communiter carentiam eius, quod significatur proprie per genitum, & tunc connotat subsistens sive personam, & significat carentiam geniti, proprie sumpti, & hoc modo videtur competere de virtute sermonis, Patri, & Spiritui sancto, quorum uterque est subsistens, & non est genitus: non sic convenit essentiæ, quia ipsa, licet sit ens, & non genita, non tamen est per se subsistens, & persona. Tertio modo, ut dicit carentiam secundum genus: & hoc geniti secundo modo sumpti, scilicet pro communicato per generationem; & hoc modo essentia non dicitur ingenerabilis, removendo aptitudinem ad communicationem. sed ut in Patre potest dici non communicata, & ita ingenita, si hoc modo sumatur *ingenitum*. Quarto modo significat carentiam secundum genus geniti communissime sumpti; & tunc idem est *ingenitum*, quod subsistens non productum, & hoc modo accipitur a Sanctis, ita quod idem est ingenitum in divinis, quod improductum proprie dictum: quod patet per August. 15. *de Trinit. cap.* 26. *Pater enim solus non est ab alio, ideo solus appellatur ingenitus*, & idem vult ad Orosium secundo. Dico igitur, quod ingenitum secundum usum Sanctorum, prout scilicet significat negationem geniti communissime sumpti, scilicet producti, connotando subsistens in natura divina, sic convenit soli patri, sicut patet per auctoritatem Aug. jam prælegatam.

*Pro opinione prima, proprietas incommunicabilis constituit ingenitum hoc*, 5. de Trinitate cap. 6. *& si Filius non genitus esset, nihil prohiberet eum, scilicet, Patrem dicere ingenitum, & si signat quisque filium, non ex eo ipso est ingenitus, quia geniti homines gignunt alios* post. cap. 7. (a) *nec ideo quisque Pater, quia genitus, nec ingenitus immo quia pater, post inquit, alia notio est qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus*; & cap. 8. *cum ingenitus dicitur pater, non quia fit, sed quia non fit ostenditur cap.* 9. *etiam cum dicitur ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore non fit ostenditur. Contra de respectu ad prius. Item, absolutum prius est: ergo quanto magis habet de ratione absoluti, tanto magis est prius. Item, non habere per productionem præcedit producti, quia pertinet ad rationem potentiæ propinquæ, sicut est amotio impedimenti. Confirmatur per simile, de inspirabili. Modo essentia prius est in aliquo non communicata, quam communicata, essentia secundum se non est communicata: ergo. Respondeo. Potentia illa propinqua nullo modo in re præcedit generationem, sed tantum secundum conceptus absolutos, sicut dist.* 27. *dictum*

a *In aliquibus orig. ponitur ista additio, sed videtur defectuosa.*

*ctum est. Non etiam est simile, quia in non constituto per ordinem ad posterius. Prior est necessario ratio ordinis ad prius. Contra, negatio non constituit personam primam, quia nec secundum ingenitum est negatio. Tum quia est alia notio, & ut sic, non dicit essentiam tantum, neque rem positivam aliam a duabus. Indantia concludit, quod non est notio. Contra inquantum negatio dicit dignitatem.*

*Respondeo. Dignitas personalis. Item negatio incommunicabilis, & propria, quia nec una. Sicut nec eni, neque de aliquo, nisi propter positionem. Item, persona prima, non nisi cum secunda. Item, August. in fine retract. Non secundum quod non est, est ingenitus, sed quod unicum filium genuit.*

De secundo articulo dicunt aliqui, (*a*) quod cum ingenitum dicat tantum privationem in genere, vel tantum negationem, & per consequens ex ratione sua formali non dicit aliquam dignitatem, nec aliquid ad dignitatem pertinens, & nihil possit poni proprietas personæ divinæ, nisi sit aliquid pertinens ad dignitatem: ergo oportet, quod *ingenitum* connotet aliquod positivum, ratione cui us connotati sit proprietas: hoc autem positivum ponitur ab eis esse fontalis plenitudo, quæ est in solo patre, in quo est omnis fœcunditas tam ad intra, quam ad extra. Sed contra istud arguitur primo; quia ista fontalis plenitudo non intelligitur ad extra, quia talis fœcunditas est communis tribus: sed ad intra non est in parte nisi duplex fœcunditas, scilicet ad generandum, & spirandum: hæc autem fœcunditas non est aliquid unum positivum in patre, nisi essentia: essentiam autem non connotat, ut propter hoc dicatur esse proprietas patris. Quod autem ista fontalis plenitudo non sit aliqua positiva relatio una in patre; patet, quia tunc in patre essent tres relationes positivæ, scilicet generatio activa, spiratio activa, & illa relatio, quam circumloquimur per hoc, quod est fontalis plenitudo fœcunditatis, licet sit innominata, & tunc essent quinque notiones: quod non conceditur communiter, saltem non conceduntur in patre tres proprietates positivæ relativæ. Præterea *ingenitum* non videtur connotare illam fontalem plenitudinem, quia non primam fœcunditatem, quia secundum August. *cap.* de *Trinitate c. 6. Etsi Pater Filium non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum*: igitur ingenitum potest præcedere generationem activam, multo magis etiam non connotat fœcundam fœcunditatem, quia si per impossibile non posset esse productio per modum voluntatis; adhuc tamen esset status in generatione ad aliquam personam ingenitam sub propria ratione; ergo videtur, quod illa fontalis plenitudo, quæ nihil dicit nisi duplicem fœcunditatem, non potest connotari per hoc, quod est *ingenitum*. Tertio, quia ratio eorum non videtur valere, quia si proprietas personalis diceret dignitatem simpliciter: igitur alia persona, quæ non habet illam, non haberet omnem dignitatem simpliciter, quod est inconveniens.

*Aliter*

a *S.Bon. lib.1. de 27. q.2. & d.28. q.1.*



*Aliter dicitur*, (*a*) *quod hoc positivum est esse a se, & hæc dicitur esse intentio Ricar. & quod est esse a se, est aliquid proprium positivum circumlocutum per ingenitum, & præcedit relationem ad filium; quia enim aliquid est a se, ideo oportet secundum Ricard. quod ab ipso sit omne esse, & omne existere. Contra, esse a se, si est positivum, & absolutum, erit commune tribus, aut relativum, & non ad prius, quia non est nisi negatio relationis ad prius: igitur erit ad filium, & ita etiam a se: vel dicit habitudinem ad filiationem, si est positivum, vel si dicit habitudinem ad præcedens, erit negatio relationis, & ita negatio est ingenitum; ergo non est proprium positivum illius.*

Ideo videtur dicendum, quod *ingenitum*, sub propria ratione sua, ut significat non habere genitorem, est proprietas patris, & sufficienter importat dignitatem, idest non indignitatem; hoc enim sufficit ad personalem proprietatem, quod non sit indignitas, sicut & personalia in divinis non dicuntur esse imperfectiones; non tamen perfectiones simpliciter, idest universaliter in quolibet melius ipsum, quam non ipsum. Et si omnino fiat altercatio, quod omnino oportet proprietatem dicere dignitatem non absolutam, sed personalem, potest dici, quod *ingenitum* inquantum negat habere genitorem, dicit dignitatem personalem primæ personæ in divinis: quia sicut dignitas est in secunda persona habere principium originans, ita est dignitas in prima persona non habere; & tamen ista dignitas non oportet, quod sit dignitas formaliter alicujus positivi proprii connotati per hoc, quod est *ingenitum*: unde negatio potest dici esse dignitatis in aliquo pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio poneretur in eo, sicut dignitatis est in rege, quod non sit scelestus, vel mercator.

*Nota*, (*b*) *quod sicut relationes positivæ fundantur in essentia ex natura rei, sic & ista negativa: ex natura enim essentia est, quod in aliqua persona sit ratio; qua ipsa non sit ab alia. Et sic substratum ipsius relationis, non est nisi essentia divina, ut sit sensus; ingenitus, idest, habens divinam essentiam, non ab alio: ex se enim habere dignitatem, & a nullo principiative, est libere habere, sicut rex regnat, ideo ut sic est dignitatis: negatio enim præcise, ut negatio non importat dignitatem, nisi ex hoc, quod circa talem affirmationem fundatur; unde habere dignitatem ab alio simpliciter non est dignitatis; sed solum ratione modi notabilis habendi, scilicet per generationem, & spirationem: propter hoc dicitur, quod ingenium stricte, scilicet non productum per generationem, non dicit dignitatem, sed ingenium, ut est negatio, & non ut convenit Spiritui sancto, sed tantum Patri sic, ut dicit simpliciter nullo modo esse ab alio. Ad secundum ibi, in spiratum non dicit dignitatem, quia spiratum dicit, ideo non est sexta notio; & exponitur ibi ad tertium ingenitum: consideratur enim uno modo simpliciter, & secundum se: alio modo, ut consideratur circa talem naturam.*

*Pri-*

a *Addit.* b *Addit. Henr. 52. & in prol.*

*Primo modo substratum non est nisi essentia, ita quod si esset hypostasis in essentia sine proprietate, esset ingenita. Secundo modo aliquid est substratum negationi ejus tripliciter, vel scilicet ut in quo fundatur in primo, vel secundo, ut cujus est notificat respectus substantiæ solius formaliter, in quo fundatur, non tamen nisi ut est sub proprietate Patris. Contra, melius diceretur ad argumentum, quod dignitatem importat respectu fundamenti tantum; nec sequitur, quod non dicit dignitatem propriam, quia essentia est indifferens ad plures dignitates personales, quas ponit* 15. de Trinitate. *Confirmatur, quia ubi ad prius est habitudo positiva, prius est quam ad post ejus; igitur & negativa: & hoc est quod dicitur, quod ratio primi præcedit ordine ad posterius, & nunquam alicubi absolutum prius est relativo: ingenitum secundum se potest competere supposito absoluto, si esset.*

Ad argumenta hujus quæstionis, ad primum, nego minorem; cum probatur per Philosophum *secundo Perihermenias*; dico, quod illa consequentia Philosophi tenet per virtutem primi principii, hujus, scilicet a quocunque removetur unum contradictoriorum, de eodem dicitur reliquum, ut sic autem non potest concludi affirmativa de prædicato infinito sequi ad negativam de prædicato finito, nisi ubi illud prædicatum infinitum significat negationem extra genus contradictoriam affirmationi: quia negatio in genere non contradicit affirmationi, & tunc non sequitur: non est genitum: ergo est non genitum, nisi in negatione extra genus, & hoc modo non genitum non convertitur cum ingenito, licet convertatur in accipiendo non genitum, prout dicit negationem in genere, quomodo intelligit Aug. Ad secundum concedo, quod nulla proprietas personæ, secundum viam communem, dicit aliquid ad se: nec tamen oportet omnem proprietatem dicere relationem positivet sed sufficit quod vel positive, vel negative: si enim relatio sit personalis, & propria alicujus personæ, negatio etiam relationis erit personalis propria alii personæ: & ita non ad se, neque communis tribus: & hoc modo, scilicet negative, *ingenitum*, dicit relationem, sicut patet per Aug. 5. *de Trinitate cap.* 8. & tunc ista est falsa, omne non genitum est relatum: & tamen non sequitur: ergo non *genitum* dicit aliquid ad se: sed sequitur, quod vel dicat aliquid ad se, vel negationem propriæ relationis, sive relationem negative, & sic conceditur conclusio, quod omne non genitum sit relatum, positive, vel negative. Ad tertium dicitur, quod *inspirabile* non dicit aliquam dignitatem, sicut dicit *ingenitum*, & ita non est notio: sed hoc videtur esse falsum in se, quia æqualis dignitatis est in Patre, & Filio, non spirati, sicut in patre non genetari, & etiam ad propositum non videtur valere, quia non videtur necessarium ad proprietatem, sive ad notionem dicere proprie dignitatem. Aliter potest dici, quod ingenitum dicit non productum, sicut expositum est in primo articulo solutionis, & hoc modo inspirabile, quia continetur in eo, non est alia notio ab eo; sequitur enim non productum, ergo non spiratum, & non e converso; ergo non est alia notio. Contra, ingeneratio est tantum in patre; inspiratio autem est in Patre, & Fi-



& Filio: ergo hæc notio non est illa. Sed si ista consequentia sit concedenda, erunt sex notiones, nisi alia ratio assignetur, quare inspiratio non sit notio. Et si videatur absurdum ponere sex notiones, quia communiter non ponuntur tot; posset dici, quod locus ab auctoritate non tenet negative. Tempore autem Ambrosii non videntur fuisse usitatæ tres notiones in patre, quia notuit hoc nomine *ingenitum* uti, tempore etiam Anselmi non videntur fuisse usitatæ duæ notiones positivæ in patre, quia non utitur ipse vi spirativa, sed pro illa accipit dignitatem communem Patri, & Filio. Et si tunc a principio fuerunt tantum notæ tres proprietates notionales, scilicet paternitas, filiatio, & spiratio, & hoc ex verbo Salvatoris in Evangelio, & Ioan. *in Canonica sua, c.* 1. tamen (a) postea per investigationem innotuerunt aliæ notiones, & proprietates, quæ prius erant in se, licet non prius notæ: & ita sicut posteriores concesserunt plures notiones, quam priores, non tamen priores ea negaverunt, licet non ea dixerint: ita non videtur inconveniens de posterioribus ad illos Doctores ponere tales notiones, dum tamen possint concludere illas ex dictis priorum.

Ad ultimum de Ambrosio patet per Magistrum, quod illud vocabulum *ingenitus*, non erat tempore suo ita notum, vel ita necessarium ad expressionem fidei, quod oporteret omnem catholicum eo uti: & primam personam illa proprietate exprimere erat occasio simplicibus fidelibus erroris, quia videtur dicere aliquid ad se, quia non ita manifesto importat relationem, sicut importat *genitum*: & ideo secutum, & cautum erat simplicibus fidelibus, non uti illo vocabulo propter hæreticos malignantes, licet hoc vocabulum in se proprie, & primo competat patri.

Ad quæstionem secundam videtur posse dici, quod sic, hoc modo intelligendo: essentia enim divina antequam intelligatur communicata per productionem, videtur in aliquo intelligi non communicata actu, ut in prima persona propter primitatem ejus 2 non quidem non communicabilis, quia non est non communicabilis: sed non actu communicata, quia non videtur posse communicari alicui quasi passive, nisi præhabeatur in aliquo non communicata sibi quasi passive, & hoc modo in isto primo signo, in quo tantum intelligitur essentia in aliquo, & ista negatio non communicata actu, videtur haberi intellectus alicujus incommunicabilis. Si enim essentia, ut non communicata actu, non esset incommunicabilis: igitur ipsa (ut non communicata) posset esse in pluribus, & tunc possent esse plures ingeniti, & plures primæ personæ, in quibus æque primo esset essentia, & non esset ejus status in aliquo primo: sed si habetur aliquis incommunicabilis subsistens in natura divina, tunc habetur persona prima: ergo ante omnem intellectum proprietatis positivæ intelligendo solam essentiam, & ingenitum, hoc est non communicatum per generationem, habetur aliquis subsistens incommunicabilis in natura divina, qui est ingenitus; accipiendo *ingenitum* proprie sicut potest accipi in divinis.



2 *Matth. ult.*

*Item essentia, ut prior relatione est non communicata, & dans per se esse. Igitur est hypostasis in generante. Antecedens probatur, quia ut prior non est communicata; & ut sic dat per se esse*, 7. de Trinitate cap. 9. *consequentia probatur, ut non communicata, non est communis pluribus suppositis, ergo est in uno tantum, & non est nisi in ingenito, quia genito est communicata; & hoc redit in illud, quod essentia per se ens hoc, vel hic Deus generat inquantum habet principium formale, & per se esse, & non praeintelligitur aliquid generationi, nisi quod habet principium illud, quod non ab alio, & quasi expectat relationem consequentem, quae consurgit termino iam posito. Contra, igitur per ingenerationem est proprietas positiva in Patre, sicut in Filio potest concedi; quod in neutro est ut per se terminus, nec primus, nec formalis; sed concomitans primum terminum, qui est Filius, quia relationes mutuae concomitantur per se terminum, qui est unum extremum.*

Confirmatur ista opinio per Augustin. 5. *de Trinitate cap. 6.* ubi vult, *Quod si Pater non genuisset, nihil eum prohiberet dici ingenitum*: ergo potest intelligi aliquis ingenitus, non intelligendo, ipsum generasse; intelligendo autem ingenitum, intelligitur suppositum incommunicabile subsistens; ergo videtur, quod prius constituitur ibi persona per ingenitum, quam per aliquam proprietatem positivam. Praeterea in omni ordine essentiali negatio ordinis ad prius, videtur immediatius consequi ipsum primum, quam ordo ejus ad secundum, quia illa negatio videtur immediate sequi ipsum inquantum tale: igitur similiter in ordine personarum, prius convenit primae personae negatio ordinis ad priorem, quam ordo ad secundam personam: ergo prius intelligitur ingenita, quam generans, & in illo priori intelligitur persona incommunicabilis in natura divina: ergo. Praeterea, si secundum imaginationem Philosophorum non esset in divinis nisi unum suppositum absolutum, constitueretur per essentiam absque proprietate positiva: & si aliqua concurreret, non esset nisi illa negativa, quae esset *non esse ab alio*: ergo videtur, quod cum origo posita in divinis, nihil auferat ipsi essentiae, nec etiam huic proprietati negativae, *non esse ab alio*: ergo per ipsam poterit modo aliqua persona constitui. Et si objiciatur, quomodo sola negatio poterit constituere personam divinam?

Respondetur, quod persona includit essentiam divinam, quae est communicabilis, & cum hoc aliquid quod est incommunicabile: per hoc quod habet naturam in se, habet in se omnem perfectionem positivam, quae potest poni in ipsa: per negationem autem contentectam, potest habere rationem incommunicabilitatis, & hoc maxime si incommunicabilitas non dicit nisi aliquam negationem in genere. Contra istam viam arguitur sic: Nulla negatio est de se incommunicabilis, quia sicut non est de se una neque indivisibilis aliqua indivisione, sic non est de se *hoc*, & incommunicabilis, sed tantum per affirmationem, cui primo repugnat dividi; & per hoc negationi convenit non dividi, & ideo negationi non convenit primo non dividi, sed consequenter: ita etiam videtur de incommunicabili, quia communicari non repugnat ne-



negationi de se, sed tantum per aliquam affirmationem: cui primo convenit talis incommunicabilitas; ergo negatio non erit prima ratio incommunicabilitatis.

*Respondeo, negatio principiati* (a) *in ente est omnino incommunicabilis, quia omne aliud ab unico ente est principiatum, unde est ista negatio incommunicabilis in ente? dico quod ex natura entis, quia illi repugnat istam negationem in ipso pluribus communicari. Contra, igitur illud positivum est prius incommunicabile, non sequitur. Immo si non tantum unicum ens esset principium, nec tantum unum esset non principiatum, instantia inanimato ponendo, quod forma mixti manet eadem, quae prius non est instantia, quia & si sic mixto insit inanimatio, & tamen est propria illi, quia animatio non fuit. Itaque quod essentia non ut cum aliqua proprietate, nec ut in aliqua persona est principium generans, ita ut recipiet aliquod prius quomodocunque in re, sed tantum sic dicendo, ut actu principiat; quo principiat, quo hoc est ut actu fundat, ut in hac distinct. 28. quaest. ultima dicetur, quod generatio est omnino primo determinata essentiae.*

Praeterea, Nulla negatio est propria alicui subjecto, nisi per aliquam affirmationem propriam ei, quam sequitur talis negatio: ergo primae personae non est propria ista negatio, *non esse ab alio*, nisi quia eidem propria est aliqua affirmatio prior, quam consequitur ista negatio, ista affirmatio prior non potest esse essentia: ergo aliqua proprietas positiva, & secunda est incommunicabilis formaliter negatione, & secunda est incommunicabilis relatione positiva, scilicet filiatione, & tertia similiter spiratione passiva: ergo non uniformiter se habent istae personae in ratione personalitatis, neque sunt aeque positivae personae: neque aeque perfectae, inquantum personae; quia non est aeque perfecta personalitas negativa, & proprietas aliqua positiva. Istae rationes licet forte non convincerent adversarium, quia possunt solvi; tamen quia non videtur probabile personam primam constitui sola negatione formaliter, vel negatione formaliter esse personam, ideo potest concedi conclusio istarum rationum. Ad argumentum (b) in oppositum dico sicut dictum est *distinct. 26.* Quod ly *praeter*, non excludit aliqua personalia, sed excludit essentialia, & includit in proprietate inclusa omne personale illius personae, unde & in ingenerationem includitur tam paternitas quam spiratio activa, ut est in patre, & omnia personalia, quae conveniunt patri; quod etiam probatur per eum alibi, ubi nominat paternitatem, filiationem, & processionem; ergo non intendebat in primo loco solas illas tres esse proprietates personales; nec etiam intendebat illas tres constitutivas esse personales; sed per illas intendebat omnes alias, & quod omnia essentialia, quae excludunt per ly *praeter*, sint unum in tribus. Ad argumenta pro opinione prima, quando arguitur per Augustin. de prioritate ingeniti ad paternitatem. Respondeo, aliquando privatio non connotat affir-



a *Addit.* b *Qu. 2. praesentis.*

mationem, & tamen nunquam inest formaliter privatio, ut propria, nisi privato insit formaliter talis positio. Exemplum, *cecur* non connotat nisi oculum, qui est commune subjectum cæcitatis, & visionis: & tamen nunquam inest oculo per solam rationem oculi, sed per aliquam aliam entitatem positivam, quam consequitur ista privatio, puta per rationem visionem in oculo; cum qua non possit stare visio. Ita potest dici hic, quod licet ingenitum non connotet nisi aliquam personam subsistentem in essentia divina; tamen ista affirmatio non est tota ratio inhærentiæ hujus negationis, quæ est ingenitum: sed oportet in re aliam proprietatem positivam aliquo modo præcedere ingenitum, per quam insit, licet non connotetur per ingenitum tanquam aliquod proprium subjectum, & secundum hoc, dictum Augustini, debet intelligi, quod *ingenitum* quantum est de se per ratioem ingeniti, non connotat patrem; non tamen potest inesse proprie in re, nisi affirmatio ista, vel aliqua alia absoluta, vel relativa sit quasi ratio inhærentiæ ejus. Ad secundum dicitur, quod ista propositio est vera de primo in ordine, quod est ad se, cujus scilicet *esse* non est esse ad secundum: ita non est in ordine personarum habentium eandem naturam ut in proposito: quia hic primam personam esse, est ordo ejus ad secundam, & ideo ordo ad secundam quasi præcedit negationem principii, sicut constitutivum formale alicujus entis positivi, præcedit in eo negationem alicujus entis sibi repugnantis. Ad tertium dico, quod si esset ita secundum imaginationem Philosophorum gentilium, tunc essentia divina esset determinata ex se ad hanc subsistentiam, & constitueret hanc, non per aliquam negationem, sed seipsa secundum eos, quia esset omnino determinata ad hanc: sicut in creaturis hæc natura est omnino limitata ad hoc suppositum; nunc autem ponendo ibi esse originem, oportet essentiam non esse omnino determinatam ad unam personam, & ideo non constituere per se aliquam personam (a); & cum dicitur ponere originem, nihil auferet essentiæ, nec illi quod per se constituitur; verum est, quod nihil auferet, sed ponit oppositum illius hypothesis, propter quam essentia de se constitueret personam, scilicet determinationem essentiæ ad unicam subsistentiam, quæ hypothesis auferet essentiæ perfectionem, quia videretur ponere limitationem: sed oppositum illius hypothesis ponens originem, non auferet perfectionem; auferet tamen modum incompossibilem constitutivum personæ, qui esset verus ex hypothesi.

*Utrum essentia Divina ex se determinet sibi primo generationem activam (b)? quod non. quia tunc staret in quolibet non suppposito. Item, relationes sunt æque primo in essentia. Contra, si per aliud prima persona non constitueretur ingenito. Solutio de determinate, & indeterminato, & determinare continentiam. Contra, illimitationem essentia determinat, quia prima, & aptitudinalis, igitur actu per aliquid non per relationem, quia ipsa non est antequam fundetur, nec per aliud infinitum. Igitur ex se primo dicitur*

a *Scot. 3. d. 1. q. 1. a. 3.* b *Addit.*



*tur adæquate immediate, primo modo secundum intentionem, sic ratio. Exemplum (a) contra God. secundum extensionem non immediate, quicquid se habet ad plura ordinem habentia, respectu ejus aliud habet primum sic, & sic exemplum solis, exemplum animæ: essentia igitur immediatissime se habet ad primam, & per illam ad secundam, Deus inquantum principium: tenet enim mediante contra productam per provisionem. Item, forma per se est, modus hic, & congruentia de triplici principio. Contra, tripliciter hic modus aliut post ad argumenta.*

## QUÆSTIO TERTIA.

*Utrum prima persona constituatur in esse personali aliqua relatione positiva ad secundam personam?*

Ultimo hic quæro, Utrum prima persona constituatur in esse personali aliqua relatione positiva ad secundam personam? Quod non, arguitur primo, quia prima persona præintelligitur in esse personali antequam gignat: agere enim suppositi est: igitur præintelligitur esse suppositum etiam antequam agat, si autem constitueretur relatione ad secundam personam, quo intelligeretur cum ipsa existente secundam personam esse, & per consequens secunda persona cointelligeretur esse antequam prima gigneret: & ita secunda persona non esset terminus illius generationis, Confirmatur ratio, quia quæcunque sunt simul natura, quocunque unum est prius, & alterum: relativa sunt simul natura: ergo si prima persona formaliter constituitur in *esse* personali per relationem ad secundam, quocunque prima persona prior est in *esse* personali, eo & secunda, sed generatione, quæ est actio primæ personæ, videtur prima persona *esse* prior in esse personali: igitur & secunda, & ut prius, tunc non erit terminus formalis generationis.

Præterea, in omni ordine primum videtur esse absolutissimum, sicut apparet procedendo in quibuscunque ordinibus: ergo ita erit in ordine personarum quod prima erit absolutissima, & ita non constituetur per relationem ad secundam. Contra. Prima persona non constituitur in *esse* personali deitate, quia non est incommunicabilis: nec spiratione activa, quia communis est sibi & Filio, nec innascibilitate, ex quæst. præcedente: ergo per viam divisionis aliqua relatione positiva ad secundam personam.

Hic communiter conceditur pars affirmativa quæstionis, (a) sed propter difficultatem primi argumenti distinguitur de ipsa relatione constituente primam personam. Uno modo, quod ipsa potest considerari ut proprietas, vel ut relatio. Ut proprietas præcedit generationem, ut relatio sequitur, & tunc secundum quod constituit primam personam, non oportet secundam simul esse cum prima, licet ut

a *A. l. adæquare. Sic in orig.*
b *D. Thom. 2. par. quæst. 40. art. 4.*

ut est relatio quasi consequens generationem, oportet secundam simul esse cum ea. Contra istud. Proprietas est aliqua entitas, alioquin non constitueret aliquod ens: aut igitur entitas ad se, aut ad alterum, aut neutrum: entitatem enim aliquam esse singularem, quæ nec sit entitas ad se, nec ad aliud, non videtur esse intelligibile: ergo oportet quod ista entitas formaliter, vel sit ad se, & tunc constituit personam absolutam: vel ad alterum, & tunc ut proprietas est relatio, & tunc non evadetur difficultas, licet alia ratio sit considerandi eam, ut proprietas, & ut relatio. Et confirmari potest ratio per exemplum, quia etsi albedo possit considerari, ut albedo, vel ut qualitas: etsi consideretur ut albedo, hoc est, secundum propriam rationem specificam suam; si autem ut qualitas, hoc est, secundum rationem imperfecti sui generis: tamen quidquid constituitur albedine, ut albedo est, non constituitur aliqua entitate, quæ non sit qualitas: quia albedo etiam, ut albedo, includit essentialiter qualitatem, & est essentialiter qualitas: ita quod albedo non potest constituere album, vel aliquid in *esse* albo, nisi etiam constituat in *esse* qualitativo. Ita videtur in proposito de proprietate relativa sic, & sic considerata. (a) Præterea, iste dicit alibi, quod in divinis non potest esse ordo, quia nec essentiæ ad relationes, nec relationum inter se; quia relativa sunt simul natura. Quod si proprietas possit considerari eo modo, quo non esset relatio, & hoc modo non oportet, quod haberet correlativum simul natura; argumentum eorum non valeret. (b) Aliter distinguitur de relatione, ut relatio est, & ut origo est: & ponitur quod constituat ut origo, non autem ut relatio: quia ratio originis aliquo modo præcedit, & in ea quasi fundatur relatio: Prima autem persona constituitur per primam originem ibi per quam distinguitur. Contra hoc obiicitur: quia origo, ut origo, non est propria forma, nec personæ, in qua est, nec personæ ad quam est, sed est quasi via: & tunc neque primæ personæ est forma, sed quasi præsupponit eam: nihil autem constituit aliquid in aliquo *esse*, nisi inquantum est forma ejus. Si tamen ista via intelligitur de *distinguere*, quasi principiative alicujus correspondentis causæ effectivæ in creaturis, sicut expositum est *dist.* 26. & non per modum principii formalis: tunc ista positio posset habere veritatem, nec hoc argumentum esset contra eam.

Alio modo dicitur, (c) quod sicut eadem actio potest diversimode intelligi, inquantum aptitudinalis, inquantum potentialis, inquantum futura, inquantum actu, & inquantum præterita: ita relationes fundatæ super actionem possunt diversimode accipi, ut sit relatio fundata super generationem, quasi aliquo modo præteritam; alio modo, ut quasi præsentem; alio modo super eam, ut quasi futuram; alio

a *D. Tho. 1. p. q. 42. ar. 3. & alibi.* b *D. Bon. lib. 1. d. 26. q. 3.*
c *Hehr. quodl. 9. qu. 8. 1. & 3. & in sum. Baccon. 1. d. 26. quæst. 1. ar. 1. & 2. Diffusius, vide hanc opinion. & reprobationem in 4. q. quodl. art. 2.*



alio modo super eam, ut quasi potentialem; & ulterius, ut quasi aptitudinalem. Dicitur autem, quod relatio sub prima ratione constituit primam personam; prima autem ratio est ratio aptitudinalis, quia illud sequitur ad aliud, non e converso: ergo generatio tali modo constituit Patrem, & hoc modo significatur per hoc, quod est *generativitas*.

Contra istud, prima persona non constituitur proprietate habente minus perfecte *esse* positivum, quam habeat proprietas constitutiva secundæ personæ: quia tunc non videretur este æque perfectæ in *esse* personali: secunda autem persona constituitur secundum istos, filiatione, ut filiatio est: ergo prima persona non constituitur relatione potentiali, quæ minus perfectum *esse* habet de ratione relationis, quam proprietas secundæ personæ; sed relatio generativi ad generabile, quam ponunt esse primam & constitutivam, est relatio potentialis: ergo non constituit ita perfectam personam actualem, sicut secunda. Probatio assumpti, nullum *esse* actuale exigit ens potentiale, quia ens potentiale est minus perfectum, quam actuale, dummodo sint ejusdem rationis; relatio autem generativi requirit generabile, quod dicit relationem potentialem ex parte Filii: ergo ista relatio generativi in Patre, non est relatio actualis. Præterea, contra istam opinionem, & contra duas præcedentes arguitur, quod relatio si constituat ibi primam personam, hoc non est nisi secundum quod est in re, alioquin non constitueret personam realem: non est autem in re nisi unica relatio personæ primæ ad secundam, nec est ibi nisi sub ratione actualissima, quomodocumque possit diversimode accipi: ergo sub illa ratione actualissima constituet illam primam personam, & sub ea ratione correspondet sibi relatio in secunda persona: non est autem in secunda aliqua, nisi ut actualissima. Frustra igitur quæritur distinctio quasi potentialis, vel aptitudinalis ibi a ratione activi; quia ista distinctio in modis concipiendi nihil facit ad constitutivum primæ personæ, quin prima persona semper exigat secum simul secundam: & tamen propter hanc difficultatem, scilicet ne poneretur personam primam habere simul secum secundam, quæritur ista distinctio relationum aptitudinalium, actualium, & potentialium, ne Filius ponatur præcedere generationem Patris. Eodem modo posset argui contra primam opinionem & secundam, quia illa relatio, quomodocumque concipitur, non est ibi, nisi ut unica. Præterea, contra omnes tres opiniones arguitur, quia etsi Pater generat Filium, per hoc quod actione Patris relatio Filii est in essentia divina, & actione sua secundum istas opiniones, paternitas ut paternitas, est in essentia divina, quia secundum eos, paternitas ut paternitas, tunc primo est, quando filiatio est, ut filiatio, licet prius præcesserit aliquid, ut origo, vel generativitas, vel proprietas: igitur Pater ita generabit se Patrem, sicut generabit Filium; aut saltem ita erit paternitas in Patre per generationem, sicut filiatio in Filio: quod videtur absurdum. Præterea, contra omnes opiniones alia est difficultas, quomodo essentia determinetur ad personam primam, vel proprietatem: hæc se,

se, non videtur communis aliis personis: quia quandocumque aliquid determinatur ad aliud ex se, ubicumque est, habet illud: & tunc essentia ubicumque esset, haberet personalitatem primæ personæ. Si autem ab alio determinatur, hoc videtur esse contra rationem primæ personæ, quia tunc videtur esse originata, vel aliquo modo poniet ab alio poni in tali subsistentia.

*Præterea tertio, (a) si determinatur ex se, quæro rationem cujus principii habet essentia in determinando se ad proprietatem primam non materiæ, ex dist. 5. non formæ, quia principiatio formæ præexigit principiationem producentis, sicut de causa formali & efficiente: ergo essentia quasi productione se determinat, & ita prima persona erit aliquo modo producta. Nec potest dici quod proprietas ex se determinatur: quia impossibile est qualitercumque duo esse omnino prima: sed omnis multitudo stat ad omnino primum, & unum: illud hic non est nisi essentia, ut est pelagus: ergo ipsi attribuetur ratio principii aliqualis respectu cujuscumque secundi. Si quis vellet dicere quod essentia, ut hæc per se est, & sic per se agit, juxta primum argumentum factum dist. 7. contra Ibomam, posset dicere quod hæc essentia communicat quasi productive se personæ primæ, & in prima communicat se secundæ, & in prima, & secunda, tertiæ: & sic tres productiones secundum triplex principium, scilicet essentia, ut essentia, ut intellectus, ut voluntas. Contra, nihil producit se, igitur est distinctio inter personam primam, & essentiam. Confirmatur ratio per auctoritatem Magistri distinct. 5. propter quam negat essentiam gignere, vel gigni: pari ratione negandum est, ab ipsa producere. Item, hæc productio non est generatio, quia Pater est ingenitus: nec spiratio, patet, nec sunt aliæ in divinis. Item, actio est suppositi: ergo essentia est quartum suppositum. Potest dici ad primum, quod aliquid producti bene potest producere totum, quando illud aliquid est prius per se ens, & habens in virtute reliquum quod concurrit cum ipso in composito. Exemplum, non est in creaturis in productione substantiali, quia ibi non præest nisi materia, quæ non habet virtualiter formam: sed bene est exemplum in productione accidentali, ubicumque subjectum habet active accidens: ipsum subjectum producit compositum illud, sicut aqua prius calefacta, & postea sibi derelicta producit aquam frigidam. Ita diceretur hic quod essentia per se ens in illo primo signo quando relatio pullulat, produit se in persona relativa, vel magis proprie communicat se illi. Ad formam, conceditur antecedens prout se, refert precise, idem: & sic consequens quod est distinctio, hic non est omnimoda identitas essentiæ ad personam relativam, quia ipsa includit aliquid præter essentiam. Ad secundum, hic potest dici, quod productio illa est generatio, & productio verbi, dictio: sicut si signis esset intelligibilis, ut intelligens, igneitate gigneret, intellectu dice-*

a Addit.



*diceret. Ad tertium, forma per se ens, idest, non inhærens, ut accidens, vel forma, ut substantialis, vel quasdatas suppositi, potest esse agens; nec tamen est suppositum, quia non est incommunicabilis, & sic videntur evadi res rationes. Sed restant insolutæ duæ auctoritates, prima confirmans rationem primam Magistri, alia est in secunda ratione. quia Augustinus dicit Patrem esse ingenitum. Propter primam posset dici, quod in omnino primo signo non tantum est Deitas per se ens, sed hic Deus, & ille producit se Patrem: & tunc evaditur hic ista locutio, essentia producit, licet ille producat, in quo nihil est nisi essentia. Sic corrigitur dicta via quantum ad sermonem. Ad secundam posset dici, quod Sancti supponentes proprietatem primam esse in essentia, undecumque pullulaverit primum suppositum, & non loquebantur nisi de productione suppositi a supposito: ideo dixerunt illam personam esse improductam, quæ non producitur a supposito. Consimiliter dixerunt relationes oppositas non posse esse nisi in distinctis suppositis, quod verum est, si utraque sit suppositi: sed non si una sit alicujus per se entis singularis, & non suppositi, puta hujus Dei. Et ratio est, quia singulare non suppositum, potest se communicare, & ita non distinguitur a producto: quia enim est singulare per se ens, ideo potest agere, quia non suppositum, ideo potest communicari: suppositum autem nunquam se communicat, & ideo si producit suppositum, distinctum producit, cujus ipsum nihil est. Qualiter autem improbabitur hæc phantasia tam dissona dictis Sanctorum?*

Aliter ponitur tenendo conclusionem oppositam istis tribus opinionibus, scilicet quod prima persona non constituitur relatione aliqua ad secundam personam: & hoc loquendo de primo constitutivo illius personæ in esse personali, sed aliqua realitate absoluta, non quidditativa, sicut tactum est in *opin. 3. distinct. 26.* Pro hac opinione arguitur specialiter de prima persona sic. Ingenitum præintelligitur patrenitati: & ingenito videtur præintelligi aliqua realitas propria primæ personæ: igitur cum illa non possit esse relativa, erit aliqua absoluta propria illi personæ. Probatio primi assumpti, tum per Augustinum 5. *de Trinitate cap. 6. Si Pater non genuisset, nihil prohiberet eum dici ingenitum*: tum, quia fœcunditas ad aliquam productionem in divinis, non intelligitur quasi potentia proxima, nisi ut est in non habente illam fœcunditatem per actum illius fœcunditatis: sicut voluntas non intelligitur fœcunda ad spirandum, ut in aliqua persona, nisi, ut in qua sit ut non communicata per fœcunditatem voluntatis, & ideo videtur communiter concedi, quod vis spirativa in Patre & Filio, præintelligitur non habere voluntatem per spirationem: ergo a simili, huic fœcunditati generandi, ut quasi potentia propinqua videtur præintelligi innascibilitas, quæ notat eam non haberi per actum fœcunditatis intellectus, scilicet generationis. Probatio secundi sequitur ex improbatione opinionis in quæstione præcedente. Præterea. Nulla (a) relativa primo

a *Supra dist. 26. 9. tenendo, op. 2.*

primo referuntur ad invicem, ita quod relatum, ut relatum primo terminet relationem. Patet in creaturis, quia relatum ut relatum, requirit illud ad quod refertur ad sui *esse*, & ad sui definitionem: ergo illud, ad quod refertur, est aliquo modo prius relato, ut relatum. Si igitur e converso ipsum ut terminans refertur: ergo pari ratione requirit illud, ad quod refertur, propter sui *esse*, & sui definitionem: ergo circulus esset in necessario coerigendo: & hoc ita, quod utrumque exigeret alterum sicut prius essentialiter se, ut definiens se: sed circulum esse in prioritate essentiali, est impossibile: ergo impossibile est relativum, ut relativum, sive secundum illud *esse*, quo dependet a correlativo, ut ad terminum, esse terminum dependentiæ alterius correlativi: & a simili videtur in proposito, quod relativum non refertur primo ad relativum, ut ad terminum hujus relationis; ergo secunda persona si referatur ad personam primam, oportet ponere aliquod absolutum ut terminum hujus relationis. Non est autem illud absolutum essentia, quia illa sicut non refertur, ita non determinat relationem, quia non distinguitur: ergo est absolutum personale, quod potest distingui a secunda persona. Contra istam opinionem arguitur, quod sit hæretica, sed quia tacta sunt argumenta, & solutiones *dist.* 26. ideo modo transeo.

Ad quæstionem istam, cui non placet ultima opinio de personis absolutis potest dici tenendo communem viam, supponendo scilicet personas esse relativas, & quod prima persona constituitur relatione positiva ad secundam personam; quia nec aliquo alio, sicut arguitum est ad oppositum per viam divisionis: nec oportet distinguere qualiter illa relatio consideretur, ut est constitutivum. Quocumque enim varietur secundum considerationem, eadem tamen est in re, & secundum quod est in re, constituit personam realem. Nec est difficultas alia, nisi quomodo requirit secundam personam simul secum, cum tamen præcedat, ubi tamen breviter dico, quod simultas relativorum, qua dicuntur esse simul natura, est ista, scilicet non posse esse sine se invicem sine contradictione, si sint relativa mutua. Nam una relatio non potest esse sine termino, quia si posset esse sine eo, esset ens ad se: pari ratione nec relatio alia sibi correspondens potest esse sine isto termino: quia tunc esset ad se: igitur istæ duæ relationes, quando sunt mutuæ, non possunt esse sine se invicem absque contradictione. Omne autem prius natura potest esse sine contradictione sine posteriori, ita quod si ponatur hoc esse sine illo, non est contradictio, sicut patet per Philosoph. 5. *Metaph. cap. de Priore* (a). Isto modo concedo personam primam, & secundam non posse sine se invicem absque contradictione: & non est contradictio ex aliquo extrinseco, sed ex formali ratione istarum personarum; & tamen cum hoc stat prioritas originis, quod una sit ab altera. Quod declaratur primo, quia si Socrates sit Pater Platonis, Socrates non intellectus, ut subjectum Paternitatis, sed ut sub paternitate, & Plato intellectus ut sub filiatione, ista sunt simul natura: quia

a *Tex.* 16.



quia sic intelliguntur ut correlativa: & tamen ut sic Socrates est prius origine, quam Plato: quia sic intelligitur sub paternitate, quæ est formaliter prioritas originis: ergo videtur quod eodem, quo aliquid est prius origine in creaturis, est simul natura cum eodem, eo modo quo simultas naturæ requiritur ad correlativa. Hoc secundo sic persuadetur, quia prioritas naturæ uno modo est prioritas secundum perfectionem, ita quod priora dicuntur esse perfectiora secundum naturam 9. *Met. cap.* 7. nunc autem (a) cum simultate correlativorum secundum naturam, videtur posse stare prioritas secundum perfectionem in uno, respectu alterius. Quia si genus relationis dividatur per proprias differentias oppositas, sicut alia genera, una differentia dividiva erit dignior, & alia indignior, quia duæ species non sunt æquales 8. *Metaph.* & per consequens (b) species constitutæ minus nobili differentia, erit minus nobilis, & tamen duæ species constitutæ ex duabus differentiis oppositis, possunt referri sibi invicem, quia omnis relatio disquiparantia: est ad aliquid alterius speciei: igitur relationum sibi correspondentium altera potest esse prior, id est perfectior alia, & tamen simul natura quantum ad hoc, quod est non posse esse sine se invicem: ergo multo magis videtur etiam, quod prioritas originis, secundum quam scilicet unum extremum in natura non excedit aliud extremum, sed est a quo aliud est, possit stare cum ista simultate relativorum.

*Confirmatur per illud Augustini de quantitate animæ, cap.* 7. (c) æqualitatem æqualitate jure præponis, *& loquitur non ratione fundamenti, quia ex nobilitate æqualitatis concludit fundamentum esse nobilius cui convenit, quam illud cui non convenit. Patet ibi de circulo, & aliis figuris: igitur relatio habet propriam nobilitatem in suo genere, & sic una nobilior alia: & tamen inter duas species correlativorum est quandoque relatio disquiparantiæ.*

Ad hoc etiam adducitur Avicenna 6. *Metaph.* ubi videtur (d) velle quod causa inquantum causa, prior sit natura causato inquantum causatum: & tamen causa inquantum causa, est simul causato sim ulcate requisita ad correlativa. Ista autem prioritas naturæ, quæ est causæ ad causatum, videtur magis repugnare simultati naturæ correlativorum, quam prioritas originis tantum. Tunc breviter prima persona constituitur in *esse* personali per relationem positivam ad secundam, & e converso, & impossibile est esse sine se invicem, & tamen ipsa persona prima constituta in tali *esse*, est prior origine persona secunda, ita quod prima persona, constituta in tali *esse*, est a qua originata est secunda, & ita prioritas originis non repugnat simultati relativorum.

Sed tunc est aliud dubium, quod tactum est contra istas tres opiniones, scilicet quomodo essentia determinatur ad primam subsistentiam? Ad hoc dico: quod quando aliquid est illimitatum in aliquo ra-

a *Tex.* 15. b *Tex.* 10. c *Addit. ut supr. dictum est distinct.* 17. d *De his vide clarius qu.* 4, *quodl.*

ratione causæ, ita quod correspondent sibi plura in altero extremo, vel aliquod unum continens plura: si inter illa plura est aliquis ordo, vel absolute, vel in se habendo ad illud illimitatum, tunc non est idem primum respectu talis illimitati, & hoc loquendo de primitate adæquationis, & primum primitate immediationis. Exemplum hujus primo in causa efficiente, ubi est manifestius. Si Sol ut causa illuminet medium totum: & tamen est quasi agens illimitatum, cui correspondent plures partes medii illuminatæ, & inter istas partes est ordo aliquis, quia prius illuminatur pars propinquior quam remotior; primum correspondens Soli ut illuminanti est totum medium, ut includit omnes partes, primum, inquam, quasi adæquatum, tamen non est primum, ut immediatum, sed pars propinquior Soli immediatius illuminatur quam pars remotior. Ita etiam in forma accipiendo animam intellectivam, quæ est forma aliquo modo illimitata, correspondent sibi pro primo perfectibili corpus organicum, secundum se totum includens in se multas partes perfectibiles. Primum igitur perfectibile animæ intellectivæ, idest, adæquatum, est totum corpus organicum, sed quia in partibus hujus totius est ordo originis, vel in se, vel in habendo animam; quia primum est cor, deinde aliæ partes 16. *de animalibus*, ideo ista forma non primo, idest æque immediate, perficit totum, sed sic primo perficit cor immediate, & mediante ipso alias partes. Si igitur anima esset tota essentia cordis, & manus per identitatem: & tamen daret eis esse distinctum, quale modo dat eis, licet in toto: & cum hoc cor, & manus non essent partes ejusdem totius, quia hoc esset imperfectionis, sed hæc essent supposita distincta, esset adhuc anima propter sui illimitationem habens corpus organicum pro adæquato perfectibili, sive habens omnia illa supposita, quæ modo sunt partes corporis pro uno adæquato, & tamen haberet unum illorum, quod scilicet est primum origine pro primo & immediato perfectibili. Ita potest dici universaliter in omni illimitato, cui correspondent plura, inter quæ est aliquis ordo, propter quem unum illorum immediatius respiciatur ab illo illimitato, quam alterum. Ita in proposito, essentia divina non habet aliquam subsistentiam unam primam, idest adæquatam sibi, quia tunc non posset esse in alia: sed sic adæquantur tres subsistentiæ illi naturæ, quod tamen in istis tribus est ordo in habendo naturam: & ideo essentia una primitate, scilicet immediationis, respicit primum illorum ordinatorum: ita quod sicut essentia ex se primo esset in tribus, si esset in eis sine ordine, & hoc tam primitate adæquationis, quam primitate immediationis, ita nunc ex se est in tribus primitate adæquationis, sed non primitate ordinis immediationis, sed prius in primo illorum, & virtute illius in aliis, quibus communicatur ab illo primo. Cum igitur queris per quid est essentia in prima persona? Dico quod ex se. Et si adhuc velis dicere, quod non, sed per proprietatem determinantem: eadem quæstio esset per quid determinaretur ad proprietatem determinantem, sive per quid primo pullulat in essentia illa proprietas;



tas; & tunc vel oportet procedere in infinitum, vel oportet stare, quod essentia, quæ de se esset primo, idest, adæquate in tribus, & esset de se immediate in tribus, si non haberet ordinem, quod ipsa est de se immediate in primo istorum trium habentium ordinem. Et si quæras, unde determinatur essentia ad primam personam? & si ex se determinatur: ergo non potest esse in alia. (a) Respondeo, determinatio duplex est, opposita duplici indeterminationi, una indeterminatio est ad opposita contradictorie, sicut materia est indeterminata ad formam, & ad privationem: alia est ad diversa positiva: quæ tamen stat cum determinatione ad alteram partem utriusque contradictionis. Exemplum hujus secundi, sicut Sol est indeterminatus ad producendum vermem, & plantam, tanquam ad diversa positiva, cum tamen ex se sit determinatus ad alteram partem contradictionis, tam hujus, quam illius, sicut si esset agens particulare tantum, natum producere unicum illorum tantum: dico tunc in proposito, quod essentia de se determinatur ad primam personam determinatione opposita indeterminationi primæ, quæ est ad contradictoria; non tamen determinatione opposita secundæ indeterminationi, quia illa non staret cum illimitatione ad plura. Et per hoc patet ad argumentum, si ex se determinatur ad istam: igitur non potest esse in alia. Consequentia tenet loquendo de determinatione secunda, quæ opponitur illimitationi ad plura, & hoc modo non determinatur essentia ad unam, sed ad tres subsistentias, quia illa determinatio est ad primum adæquatum. Non tamen tenet consequentia loquendo de determinatione primo modo, quia illa est ad primum immediatum, non adæquatum, & stat cum illimitatione indeterminari ad plura. Ad primum argumentum principale patet ex dictis, quia primum suppositum præcedit secundum origine, & tamen sunt simul natura; sicut requiritur ad relativa. Et cum arguis, quod primum suppositum præcedit generationem: igitur & secundum. Respondeo, quod in antecedente potest intelligi generatio activa & passiva. Si generatio activa, nego: imo primum suppositum est generatione activa subsistens, quia quomodocumque intelligatur illa relatio, non est differentia in re, dicendo Patrem subsistere, vel generationem subsistere, vel generantem subsistere. Si autem intelligatur in antecedente de generatione passiva, concedo, quod prima persona sicut origine præcedit Filium, ita præcedit origine generationem passivam. Et cum arguitur sic, Filius præcedit eandem generationem passivam, quia est simul cum Patre; ista consequentia non valet, quia non est isto modo simul cum Patre, quomodo Pater est prior generatione passiva. Filius enim est simul cum Patre natura, sicut pertinet ad correlativa: Pater autem præcedit generationem passivam, non sic, sed origine. Nunc autem ista propositio. *Quandocumque aliqua sunt simul, quocumque est unum prius, & reliquum*: falsa est, nisi intelligatur de simultate ejusdem rationis cum illa

a *De hoc supr. d. 7. §. Contra indeterminatio.*

illa prioritate, & posterioritate: sicut ista est falsa: *Si aliqua sunt simul tempore, quidquid est prius natura uno, & reliquo*. Sed ista est vera; *si ista sunt simul tempore, quidquid est prius tempore uno, & altero*. Ad secundum argumentum dico, quod vera est illa major in ordine essentiarum, quia ibi intelligitur in perfectionibus quidditativis, & status est ad perfectionem quidditativam infinitam, quæ est absoluta. Sed in personis habentibus eandem naturam distinctam tantum per originem, sicut oportet intelligere in proposito secundum communem opinionem, propositio major est falsa, quia ibi primum præcise est illud, quod est formaliter per esse ad secundum.

*Quamvis in divinis negatur omnis prioritas secundum naturam, & tamen concedatur prioritas originis communiter*, (a) *vel prioritas secundum naturalem intelligentiam: tamen omni modo oportet aliquam prioritatem dare essentiæ respectu relationis, tum, quia est fundamentum secundum omnes; tum, quia est formaliter infinita, relatio non: tum, quia qualitercumque distinguatur, non sunt æquo omnino prima, nec relatio prior. Merito igitur quæritur, unde essentia determinat sibi proprietatem primam? Et cum non inveniatur aliquid determinans, quia semper est eadem quæstio, unde essentia habeat illud, nisi procedatur in infinitum, standum est, quod essentia ex se præcise determinat in se, ut in fundamento, primam relationem. Falsa est igitur illa radix, nullum indeterminatum ex se ad aliqua, determinatur ex se ad aliquod illorum, sicut bene habetur hic de duplici indeterminato, & de duplici prioritate adæquationis, & immediationis. Sed restat dubium, quam circumstantiam principii notat, ex, vel, de, cum dicitur essentia de se, vel ex se, determinat sibi proprietatem primam, & si fingas, quod ibi non dicit rationem principii alicujus: sed excludit comparticeps principium, non obstat. Quæro enim quomodo essentia determinat, & in ratione cujus principii est respectu proprietatis, & dicit una solutio hic, quod producentis: quia sine illa non est ratio principii formalis, nec materialis, & quia forma activa est per se ens, per se agit, de qua propositione quære dist. 7. extra. Et propter congruentiam de tertio principio productivo, ex qua congruentia fit una instantia dist. 2. quæst. de duabus productionibus: sed corrigitur, quod hic Deus producit Patrem: non autem essentia proprie loquendo. Sed contra istam viam fiunt tres rationes, & tres auctoritates adducuntur, quæ videntur omnes evadi aliqualiter, sed quia male sonat primam personam esse productam, potest dici, quod essentia determinat proprietatem sibi primam in ratione principii formalis: non quidem informantis, sed sicut quidditas dicitur forma suppositi, & quod quidditas non causaliter necessario, nec sic formaliter determinat aliquod suppositum, sicut Pagani ponerent de supposito absoluto: nos autem de primo relato: & ratio est, quia talis quidditas se ipsa fictic se, & se ipsa est*

a *Addit.*



*est alicujus quidditas. Tunc ad illa pro via alia. Ad primum dico, quod omnem formam informantem præcedit causa efficiens, ideo primum efficiens non sic habet formam. Sed non omnem formam quidditativam dantem esse supposito præcedit efficiens, vel producens: quia hic non est causa, & causa intrinseca compositi, quæ oporteat uniri per agens, sed est perfecta entitas, quæ seipsa est entitis in ipsa. Quod si objicitur, vel essentiam informare proprietatem, vel e converso. Responsum est dist. 5. Neutrum est, sed est perfecta identitas; quæ identitas non habet principium efficiens, sed habet quidditatem in ratione principii formalis illius; cui seipsa primo est eadem.*

*Ad secundum quære responsionem dist. 7. Ad tertium, ista via bene salvat congruentiam, quia essentia ut essentia, & ut prior omni ratione potentiæ, est dare esse formaliter, & sic determinat se; ut autem est talis, & talis, potentia ejus est principiare. Itaque duo principia productiva sunt, unicum non productivum ex se solo, sed dat tantum esse formaliter primo supposito.*

## DISTINCTIO XXIX.

Circa istam distinctionem vigesimam nonam, quæro unum, scilicet.

### QUÆSTIO UNICA.

*Utrum principium uno modo dicatur de principio sumpto personaliter, & notionaliter, & sumpto etiam essentialiter.*

Quod non: quia si principium esset unius rationis hoc modo tripliciter sumptum: ergo principiata essent unius rationis: hoc est falsum, quia nec Filius nec Spiritus sanctus principiantur uno modo, nec creatura eodem modo cum eis. Contra sequitur, creans, igitur principians, generans, igitur principians, & spirans, igitur principians. Et non è converso: ergo consequens est commune ad omnia antecedentia.

Ad istam quæstionem dico, quod *principium* non dicitur univoce de principio essentialiter, & notionaliter, sive personaliter sumpto: & hoc loquendo de relatione, quæ per se significatur hoc nomine *principium*, & accipiendo principium principiative, non pro eo, quod principiat sive pro principio *quod*, sed *quo*. Et ratio est, quia principium essentialiter sumptum, non dicit nisi relationem rationis, non realem, quia non est realis relatio Dei ad creaturam, ut ex distinctione sequenti patebit: ut autem accipitur ad intra notionaliter, vel personaliter, dicit relationem realem: relationi autem reali, & rationis non est commune aliquid idem, quod est in uno rei, & in alio rationis: quia ei, quod est secundum *quid* tale, & ei quod est